Oratio de incrementis anatomiae in hoc seculo XVIII, publice dicta ... MDCCXX / [Lorenz Heister].

Contributors

Heister, Lorenz, 1683-1758

Publication/Creation

Wolfenbüttel : Widow of G. Freytag, 1720.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/fkewchfs

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

28,174/A

D. 211.

18/h

George Paterson of Castle Huntly Esqr.

D. LAVRENTII HEISTERI
ANTEA IN ACADEMIA ALTORFINA
NVNC VERO
IN REGIA ATQVE DVCALI IVLIA HELMSTADIENSI
ANATOMIAE CHIRVRGIAE ATQVE PHYSIOLOGIAE
PROFESSORIS PVBLICI

ORATIO DE INCREMENTIS ANATOMIAE IN HOC SECVLO XVIII

PVBLICE DICTA

D. XVIII IVLII MDCCXX

CVM IVSSV ET AVCTORITATE

SERENISSIMAE POTENTISSIMAEQVE

DOMVS BRVNSVICO LVNEBVRGENSIS

MVNVS HOCCE NOVVM

AVSPICARETVR.

WOLFFENBVTTELAE,
Sumptibus GODOFREDI FREYTAGII Viduæ,
MDCCXX.

94647 (T)

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

LAVRENTII HEISTERI
ORATIO INAVGVRALIS
DE
INCREMENTIS ANATOMIAE
IN HOC SECVLO XVIII.

QVodlibet licet ævum viros aluerit egregios atque eruditos, omnique tempore non defuerint homines ingeniosi, qui in scientiis artibusque liberalibus excelluerint, aliquodque fecerint earum augmentum sive incrementum: duo tamen secula ultima superiora, decimum sextum scilicet atq; decimum septimum, in augmento atque emendatione scientiarum omnibus reliquis palmam præripuisse, hæcque longe superasse, uno quasi ore & haud sine ratione eruditi affirmant. Imo ad tantum

nonnullas ſcientias in his duobus ſeculis perfectionis gradum evectas fuisſe, ut ad ſummum faſtigium eas perveniſſe, iam centum abhinc annis crediderint multi, nihilque vel parum a poſteris adiici emendarive posſe, graves ob rationes exiſtimaverint.

At, quamvis fatendum ſit, eruditos duobus prædictis ſeculis multa eaque admiranda ac ſtupenda præſtitiſſe, variasque ſcientias longe nobiliorem faciem induxiſſe, quam præcedentibus ſeculis, habuerant: tantum tamen abeſt, ut ad perfectionem, vel ad ſummum faſtigium eas deduxerint, aut aliis ultra progrediendi aliquidque inveniendi, vel addendi, vel emendandi occaſionem præripuerint, quin potius ſeculum hoc novum, in quo nunc per Dei gratiam vivimus, quodque per paucos demum annos duravit, tanta tamque egregia iam quamplurimis in ſcientiis dedit incrementa, & tam multis nobiliſſimis ſuperbit inventis atque emendationibus, ut anteceſſores noſtri, ſi ex orco redirent, noſtra tempora ſint miraturi

quam

quam maxime; certumque esse credo, quod, si non palmam ceteris præripuerit omnibus, de ea tamen iure meritoque cum eis contendere possit.

Tempus iam non permittit, neque etiam nunc mei est constituti, ut hanc meam sententiam, omnibus in scientiis aut artibus, multis comprobem argumentis; illos enim, qui vel leviter tantum historiam litterariam seculi huius decimi octavi cognoverunt, non latere potest, quot & quam egregia inventa hoc seculo primum *in rebus physicis atque mathematicis* iam fuerint producta, ut certe multis possit esse dubium, an non exigua hæc pars seculi huius incrementis harum scientiarum omnia præcedentia secula superaverit, aut certe minimum æquaverit. Fidem huic rei facile facere possunt acta publica, quæ hoc seculo vel ab integris scientiarum Collegiis sive Academiis, ut a Cæsarea, Parisiensi, Londinensi, Berolinensique edita; vel quæ ad diversis singulisque hinc inde personis publici iuris facta, atque in variis eruditorum

rum Diariis, maxime vero in Actis Eruditorum Lipsiensibus, Diario Parisiensi, aliisque similibus scriptis recensita sunt.

Si *amœnissimam herbarum scientiam*, suavissimas Floræ delicias, perlustramus, tantum novarum plantarum hoc præsens ævum detexit campum, (nihil enim iam de eleganti methodo dicam) tantamque earundem gratissimam varietatem, ut vir unicus, *Tournefortium* intelligo, unico itinere in quasdam orientales regiones (taceo enim nunc quæ antea præstitit) tantum detexerit atque descripserit numerum incognitarum stirpium, tantisque botanicis spoliis in Europam onustus redierit, ut nullus unquam ullo ævo Botanicus tantam novarum herbarum fecerit messem; mille enim & trecentas in Europa antea non visas plantas unica illa excursione in Europam intulit. a)

Silentio

a) vide eius *Institutiones rei herbariæ*, Parisiis 1700. edit. 4. & Eiusd. Corollarium institutionum rei herbariæ, ibid. 1703. itemque iter

Silentio iam premo, quid alii Galli, aliis in regionibus detexerint in re botanica, ut *Plumierius* novorum quoque inventorum botanicorum ditissimus, in regionibus Americanis; a) *Ligerus*, b) *de la Feuillée*, c) *Nizolius*, d) *Chomelius*, e) *Garidelius*, f) *Jussieu*, g)

iter eius orientale, *Voyage au Levant*, Parisiis 4. 1717. Lugduni 8. & Amstel. 4. 1718. ideoque ter intra biennii spatium excusum.

a) vid. Eius Nova Plantarum Americanarum Genera 4. Paris. 1703. Eiusdem tractatus de Filicibus Americanis fol. 1705.

b) le Jardinier Fleuriste par Mr. Louis Liger. 12. Amsterd. 1706.

c) Journal des Observations physiques, mathematiques & botaniques, Paris 4. 1714.

d) Nova Genera plantarum constituit in Historia Acad. Reg. Scientiar. An. 1711, & ob insignem eius peritiam in re Botanica *Tournefortius* plantæ cuidam *Nissoliæ* nomen imposuit, in Institut. Rei herbar.

e) Abregé de l' histoire des Plantes usuelles, a Paris 1712. 8.

f) Histoire des Plantes, qui naissent aux Environs d' Aix. fol. a Aix 1715.

g) Successor *Tournefortii* in horto Regio Parisino edidit *Barelieri* Plantas, de quibus infra: & nuper Appendicem ad Corrollarium Tournefortii 4. Paris. 1719.

Lafitau, h) *Saracin*, i) *Barelierus*, k) *Vaillant* l) aliique. Taceo, quid Britanni in re herbaria hoc ſeculo novi præſtiterint, ut *Raius*, m) *Sloane*, n) *Sherardus*, o) *Pettiverus*, p) *Blair* pp) & alii

h) de Planta Ninſin epiſtolam edidit. Memoire concernant la pretieuſe plante du Gin-ſeng per le Pere Lafitau. Paris 1718. 12.

i) Botanicus eſt Regius in inſulis Americanis, unde ſæpe novas plantas miſit in Europam.

k) *Barelierii* Plantæ per Galliam, Hiſpaniam & Italiam obſervatæ, Pariſ. fol. 1714.

l) Etabliſſement d' un nouveau Genre de Plante, nommé Araliaſtrum, Hanover. 4. 1718. *item*, diſcours ſur la ſtructure des fleurs, leur difference & l' uſage de leurs parties, & l' etabliſſement de trois nouveaux genres des Plantes, l' Araliaſtrum, la Sherardia, la Boerhavia &c. par Mr. *Vaillant* a Paris, 1718. 4.

m) Novam edidit Plantarum methodum 8. Londini 1703. & Tomum tertium Hiſtoriæ Plantarum, Londini fol. 1704.

n) Iter Jamaicenſe anglice edidit fol. Londini 1707. cum multis figuris.

o) Botanicus inſignis, qui per plures annos Gentis Britannicæ Conſul fuit Smirnæ, unde multas plantas & ſemina in Europam

& alii. Omittam iam Italos, *Marsiglium*, q) *Vallisnerium*, r) *Pontederam*, s) (qui solum patrio in solo fere tre-

A 5 cen-

pam misit, atque occupatus esse dicitur in Bauhini Pinace augendo.

p) Varia scripta botanica edidit, Londini varia forma, variis annis.

pp) Botanick Essays in two Parts: The first containing the Structure of the Flowers, and the Fructification of the Plants, with their various distributions into Method: And the second the Generation of Plants, with their Sexes, and Manner of impregnating the Seed, also concerning the Animalcula in semine masculino. Together with the Nourishment of Plants and Circulation of the Sap in all Seasons analogous to that of the Blood in Animals; with many curious Remarcks, and several discoveries and Improvements. Adorned with Figures. By *Patrick Blair*. M. D. Fellow of the Royal Society. London 1720. 8.

q) Dissertationem de fungorum generatione edidit. Romæ 1714. fol.

r) Scripsit quoque de fungorum generatione, de semine lenticulæ palustris, granis Chermes &c. Patav. 1715. 4.

s) Compendium Tabularum Botanicarum.

4. Pa-

centas antea non obſervatas plantas, notavit, easque a ſe primum deſcriptas eſſe affirmat), *Montum*, qui Catalogum Stirpium agri Bononienſis edidit ss) aliosque. Nil dicam de Belgis atque Germanis, qui haud minus reliquis de re herbaria hoc ſeculo bene meriti ſunt: ut de *Hermanno*, t) *Commelino*, u) *Rivino*, x) *Volkameris*; y) *Bœrhavio*, z) *Kæmpfero*, a) *Lochneris*,

4 Patavii 1718. Eiusd. *Anthologia* ſive de floris natura libri tres, plurimis inventis, obſervationibusque ac æreis tabulis ornati &c. 4. Patav. 1720.

ss) Bonon. 1719. 4.

t) Cuius Paradiſus Batavus 1705. 4. Lugduni Batavorum prodiit.

u) qui Præludia Botanica A. 1703. & Horti Amſtelodamenſis Plantas rariores 1706 edidit, Lugdun. Batavorum. 4.

x) Introductionem in rem herbariam iterato hoc ſeculo edidit, 12. Lipſiæ: præter ea, quæ antea publicavit.

y) Flora Norimbergenſis 4. 1700. Item Heſperides Norimbergenſes fol. Germanice, & poſtea Latine 1713.

z) qui bis iam intra decennium catalogum Horti Lugduno-Batavi edidit.

a) In amœnitatibus exoticis multa botanica exhibuit. 4. Lemgoviæ 1712.

ris, b) *Hoffmanno*, c) *Johrenio*, d) *Ruppio*, e) *Dillenio*, f) *Gundelsheimero*, g) *Scheuchzero*, h) *Camello*, i) *Helwingio*, k) *Valen-*

b) Ediderunt Norimbergæ Muſeum Beslerianum cum notis, fol. 1716. Tractatum de Ananaſa fol. 1715. Nerio 4. 1716. Papavere 4. 1713. Paraira brava 4. &c.

c) Appendicem edidit Plantarum Horti Altorfini. 4. Altorf. 1703.

d) Hodegus Botanicus ſecundum methodum Tournefortii. 8.

e) Conſcripſit Floram Jenenſem 8. Jen. 1718.

f) Deſcripſit Plantas circa Gieſſam naſcentes. 1719, Gieſſæ 8.

g) Comes fuit Tournefortii in itinere orientali, botanices peritiſſimus.

h) Edidit Prodromum Graminum Helvetiæ in folio, Tiguri 1708. Agroſtographiam ſive Graminum Hiſtoriam, Tiguri 4. 1719. Methodum Graminum & Juncorum 8. ibid. 1719.

i) Eius hiſtoria Stirpium Inſulæ Luzonis aliarumque Philippinarum extat in Raji hiſtor. Plantarum Tom. III. Continetur etiam Epiſtola eius de Faba Sancti Ignatii, in Actis Anglicanis.

k) Georg. Andreæ *Helvvingii* Enumeratio aliquot Plantarum indigenarum in Pruſſia, quarum nulla in herbariis hactenus facta

Valentinis, l) *Knauto*, m) & aliis.

Prætermittam nunc quoque enarrare, quid ſeculum hoc novum *in rebus Chemicis* detexerit, quæ præteritis erant incognita; hora enim hæc, ſermoni huic deſtinata, imo dies non ſufficeret eis omnibus recenſendis: qui enim ſcripta publica Eruditorum philoſophica, phyſica & medica, Italorum, Britannorum, Germanorum, Gallorumque hoc ſeculo editorum evolvet, acceſſionem novorum in hac arte inventorum factam eſſe locupletiſſimam, facile deprehendet, agnoscetque.

Quid utiliſſimæ *arti Chirurgicæ* incrementi præſens nobiliſſimum attulerit ſeculum, nunc non attingam, quia in ſyntagmate meo Chirurgico, ſuper-

facta eſt mentio. Gedani 4. 1712. c. fig. item de Pulſatilla Lipſiæ 1720. 4. cum figur. XIV.

l) Parens Muſeum Muſeorum, Filius vero *Tournefortium* contractum ſub forma tabularum edidit Francof. 1715. fol.

m) Chriſtiani *Knaut* Methodus Plantarum genuina. 8. Lipſiæ. 1716.

ſuperiori anno Germanice a me evulgato, ſi non omnia, præcipua tamen inventa deſcribere atque docere anniſus ſum, unde ſciendi cupidi ea depromere poſſunt.

Nihil quoque iam de aliis artibus aut ſcientiis, quid hoc ſeculo profecerint, ſum dicturus: verum, quoniam pro more *almæ huius Academiæ Juliæ*, in qua nunc, a POTENTISSIMIS SERENISSIMISQVE eius NVTRITORIBVS vocatus, iuſſusque, *Anatomes*, *Chirurgiæ* atque *Phyſiologiæ* Profeſſionem ordinariam nunc ſuſcipio, ſolenne auſpicium oratione quadam fieri ſoſolet; hoc ſolum nunc agam, ut, miſſis aliis disciplinis aut ſcientiis, nunc tantum de *Incrementis Artis Anatomicæ*, quæ præſenti hoc ſeculo fecerit, diſſeram: quem ſermonem, ut benevolis auribus percipere velitis, eſt, quod nunc, Auditores optimi, omni, qua par, eſt obſervantia atque humanitate rogo atque contendo.

Vigeſimus tantum eſt annus huius ſeculi, in quo nunc vivimus: ideoque

pars

pars ſolum quinta, hoc eſt per quam exigua unius ſeculi; Anatome tamen tanta in tam exiguo temporis ſpatio fecit incrementa, ut omnes certe, qui rem æquo animo perpendent, ea miraturi ſint. Imo Medici, qui ſuperioribus duobus ſeculis vixerunt, quorumque non pauci Anatomen iam tunc ad ſummum faſtigium perveniſſe, ultimumque complementum ei additum eſſe, opinati ſunt, n) ſi reviviſcere, ſuperasque redire poſſent ad auras, vix credituri eſſent, tam multa tamque ſtupenda adhuc, & quidem in tam brevi temporis ſpatio præſtari detegiq; potuiſſe in ſcientia Anatomica.

Verum non uno nomine profecit Ars hæc nobiliſſima, ſed vario. Primo enim multa *omnino nova*, præcedentibusque ſeculis non obſervata, detecta ſunt; multa deinde veterum inventa ad maiorem perfectionem redacta, accuratiusq; vel deſcripta, vel elegan-

n) Cognoſci hoc poteſt ex Inſtitutionibus anatomicis *Caſparis Bartholini*, quæ cum præfatione *Thomæ Bartholini* Ann. 1640 prodiit, aliisque.

gantius aut melius delineata atque figuris expressa sunt. In quibusdam partibus melior usus est inventus physiologicus; in aliis melior pathologicus aut practicus erutus est. Deniq; etiam *Scripta Anatomica* (unde incrementa optime perspici possunt) & nova & emendatiora quam plurima hoc prodiere seculo: dum tot viri præstantissimi variis in regionibus Europæ, variis linguis, Latina, Gallica, Italica, Anglica, Belgica atque Germanica, omni conatu Anatomen ad summam, qua fieri potest, perfectionem, certatim redigere allaborarunt, suasque novas observationes, emendationes & inventa cum publico communicarunt, ut inde perquam magna scriptorum anatomicorum enata sit copia: quæ propterea scripta, quacunque lingua edita, præsertim quia multa eorum hic rara sunt, multisque adhuc incognita, cum rebus præcipuis, quas Auctores eorum præstiterunt, iam breviter enarrabo: dies enim non sufficeret, nedum horula hæc, si omnia prolixe aut ex merito recensere mihi sumerem.

Vt

Vt vero ordinem aliquem dicendi ſervem, Scriptores eos, quihoc ſeculum Scriptis ſuis Anatomicis exornarunt, illuſtraruntque, iuxta annorum ſeriem nunc proferam, ſine dignitatis aut præſtantiæ reſpectu, ſed prout mihi in mentem venient: adeoque ab iis dicendi exordium faciam, qui ſcripta ſua anno poſt reparationem ſalutis *milleſimo ſeptingenteſimo* ediderunt, poſtea ad reliquos progrediar.

Scripta Anatomica quæ anno 1700. prodierunt. Ruyſchius.

Inter hos autem primo loco mihi nominandus celeberrimus *Fridericus RVYSCHIVS*, Profeſſor Amſtelodamenſis, Præceptor quondam noſter omni adhuc honoris cultu proſequendus: quihoc anno continuavit *Epiſtolas ſuas anatomicas*, quas antea iam inceperat, & ſpeciatim hoc anno eam edidit, *quæ de oculorum tunicis* agit: in qua, præter alia curioſa, mirabilem vaſorum ſubtiliſſimorum per tunicas oculi, præſertim *choroideam* & *uveam* ſive iridem diſtributionem, antea adhuc incognitam primus deſcripſit & delineavit; quam deindeadhuc aliæ ſimiles epiſtolæ ſecutæ ſunt. a) Huic

a) Amſtelodami 4.

Huic mox ſubiungimus *Abrahami CYPRIANI*, quoque Amſtelodamenſis, Epiſtolam, ad Ampliſſ. virum *Thomam Milligton*, Divi *GVILIELMI*, *Magnæ olim Britanniæ Regis*, Archiatrum: b) in qua quidem præcipue deſcribit mirabilem *hiſtoriam foetus humani*, poſt XXI menſes ex ventre matris & uteri tuba, matre ſalva ac ſuperſtite, exciſi; attamen eadem in epiſtola *obſervationes* quoque *varias anatomicas*, ad uterum, tubas uteri, placentam, conceptionem & nutritionem fœtus attinentes, deſcribit. Cyprianus

Porro eodem anno a *Bartholdo KRVGERO*, Medico Brunſuicenſi, editus eſt *Anatomicus curioſus* Θεοδίδακτος, hoc eſt, ut Autor titulum hunc ipſe exponit, *methodus ſecandi cadavera Hippocratica Democritæa*; c) quo in libello potiſſimum id intendit Krugerus, ut methodum & ordinem ca- Krugerus.

b) *Abrahami Cypriani* Epiſtola, hiſtoriam exhibens fœtus humani poſt XXI menſes ex uteri tuba ſalva matre exciſi. &c. 8. Lugd. Batav. 1700.

c) Brunopoli in 4. 1700.

davera ſecandi, ſive adminiſtrationes anatomicas edoceat.

Ammanus. *Jo. Conradus AMMANNVS*, vir doctiſſimus, Helvetius quidem natione, ſed Amſtelodami praxin Medicam exercens, atque ob artificium, quo *ab incunabulis ſurdos & mutos legere ac loqui docet*, celeberrimus, hoc etiam anno edidit libellum, quo artificium illud deſcribit. d) Ediderat quidem iam antea hunc tractatum lingua Belgica, ſub inſcriptione, *Surdus loquens:* verum in hac nova editione non ſolum omnia longe accuratius tradidit, ſed & *organa loquelæ*, laryngem, linguam, nares, palatum, uvulam, dentes, labra &c., & quæcunque ad loquelam faciunt, multo inti-

d) Titulus eſt, *Diſſertatio de loquela*; qua non ſolum vox humana & loquendi artificium ex originibus ſuis eruuntur, ſed & traduntur media, quibus ii, qui ab incunabulis ſurdi & muti fuerunt, loquelam adipiſci, quique difficulter loquuntur, vitia ſua emendare poſſint, Auctore *Jo. Conrado Ammanno*, Med. D. Amſtelod 1700. 8.

intimius, quam antea fecerat, perveſtigavit, uſusque eorum perſpicacius expoſuit.

Ibidem etiam eo tempore *Jo. Jac. RAVI*, Germani, tunc Medici & Chirurgi Amſtelodamenſis, poſtea Anatomes ac Chirurgiæ Profeſſoris Lugduni Batavorum, Reſponſio, ad *Friderici Ruyſchii* defenſionem *de ſepto ſcroti*, lucem aſpexit; in quo ſchediasmate ſeptum hoc ita dividi poſſe oſtendit, ut duos quaſi loculos, ſingulum pro quovis teſticulo involvendo, conſtituat. e) Rau.

Hoc ipſo anno in Gallia *MERYVS*, Chirurgus celebris Pariſienſis, & Academiæ ſcientiarum ſocius, imprimi curavit libellum, ſermone Gallico: in quo non ſolum *ſingularem novamque methodum ſecandi calculum*, a Monacho quodam Gallo, qui *Frere Jacques*, ſive *Frater Jacobus* dictus eſt, inventam, deſcripſit, hiſtoriasque Meryus.

 addi-

e) Titulus eſt, *Jo. Jac. Rau* Reſponſio ad qualemcunque defenſionem Ruyſchii. 4. Amſtelodami, 1700.

addidit dissectionum cadaverum illorum, cum quæ ex rudi sectione huius Monachi interierant, tum illius, in quo primum cum applausu operationem eius novam instituerat: ex quibus ii, qui lithotomiæ operam dant, multum lucis atque emolumenti petere possunt; verum in eodem libello *Meryus* etiam sententiam suam novam de *foraminis, ovalis* dicti, usu, inter auriculas cordis, in fœtu recens nato conspicui, exponit, controversias circa illud inter Anatomicos varios celebres enatas exhibet, atque hypothesin suam, *quasi sanguis in fœtu, quamdiu in utero continetur, ex sinistra in dextram auriculam flueret*, sicuti hoc fieri in testudine ostendit, contra reliquorum Anatomicorum sententiam multis rationibus defendere, figurisque variis illustrare allaborat. f)

Illo

f) Titulus est, *observations sur la maniere de tailler dans les deux sexes pour l' extraction de la pierre, pratiqué par Frere Jacques. Item, nouveau systeme de la circulation du sang par le trou ovale dans le fœtus humain. &c.* Paris 12.

Illo ipſo tempore unus ex adverſariis *Meryi*, cui *TAUVRY* nomen, eiusdem Academiæ Pariſienſis, dum viveret, ſocius, & per alia ſcripta Anatomica iam antea notus, in publicum emiſit tractatum Gallicum, *de generatione & nutritione fœtus*; in quo omnes partes, uſibus his deſtinatas, magna diligentia deſcripſit, quæſtiones difficiliores phyſiologicas circa has partes ingenioſe exagitavit, erroresque multorum Anatomicorum excutiendos ſibi propoſuit. Quamobrem multa animalia ſe diſſecuiſſe affirmat, variorumque differentias, antea nondum deſcriptas, tradit, ut ſic ex comparatione animalium cum homine in veritatem detur via tanto facilior. Addidit in fine reſponſionem ad ſententiam *Meryi* de uſu foraminis ovalis in fœtu, receptamque vulgarem ſententiam contra *Meryum* multis argumentis tuetur. g) Tauvry.

g) Inſcriptio libri eſt, Traitè *de la generation & de la nourriture du fœtus, par M. Daniel Tauvry*, a Paris. 12. 1700.

Pascoli. In Italia *Alexander PASCOLI* lingua Italica Anatomen corporis humani edidit, h) ubi breve anatomes systema conterraneis suis, linguæ latinæ ignaris, exhibere voluit.

Denique inter Scriptores, qui rem Anatomicam primo huius seculi anno illustrarunt, præterire silentio non possum *Georgium PA-*
Paschius. *SCHIVM*, Professorem & Philosophum Academiæ Kiliensis in Cimbria: qui, licet neque Medicus neque anatomicus fuerit, tamen huc a me refertur, quia hoc anno iterum librum suum edidit *de Novis Inventis, quorum accuratiori cultui facem prætulit antiquitas* i), eumque quarta parte auctiorem reddidit. In hoc enim tractatu (præter ea, quæ de aliis inventis scitu digna habet) perquam multa *de inventis Anatomicis* verisque rerum

h) Il Corpo Umano, di Alessandro Pascoli. 4. Perusiæ.

i) *Georgii Paschii* Inventa nov- antiqua, sive de novis inventis, quorum accuratiori cultui facem prætulit antiquitas. &c. 4. Lips. 1700.

rerum anatomicarum inventoribus curiosa reperiuntur, quæ non solum tyronibus, sed & ipsis artis huius divinæ magistris usui esse possunt.

Tandem etiam huc referenda venit *Eduardi TYSONIS* elegantissima *Pigmæi anatome*, anglice conscripta: quæ, licet iam anno 1699 prodierit, tamen hoc demum anno ex Anglia in alias regiones & præsertim in Germaniam nostram illata, atque in Actis Erudit. Lipsiens. recensita est. k) Perquam curiosa, non modo ad Anatomen, sed etiam ad rem antiquariam *de Pigmæis* illustrandam, in hoc libro continentur, figurisque nitidissimis exornatur. Tyson.

Inter Scriptores vero Anatomicos, qui anno 1701 in incrementum rei Anatomicæ aliquid contulerunt, primum locum iure rursus meretur, venerandus ille senex, octogenario quidem iam longe ma- Anno 1701. Ruyschius.

k) The Anatomy of a Pygmie, compared with that of a Monkey, an Ape, and a Man, London. 4. 1699.

ior, verum in experimentis anatomicis inſtituendis, incognitis detegendis, novisque ſcriptis edendis adhuc hodie indefeſſus, Celeberrimus nempe *RVYSCHIVS*, iam fere per annos ſexaginta Anatomiæ Profeſſor: qui hoc ſeculum (taceo enim ſcripta, quæ præcedenti ſeculo in lucem emiſit) *Theſauris ſuis Anatomicis* decem, diverſis annis editis l), exornare cœpit, quorum primus hoc anno prodiit, & ultimus, ſive decimus, anno 1716; qui vero Theſauri omnes, ob rara in plerisque corporis partibus inventa, (quæ hic recenſere tempus ob copiam non permittit) figuras pulcherrimas atque præparationes curioſiſſimas, vere *Theſauri anatomici* appellari poſſunt.

Bergerus. Deinde *Jo. Gothofredus BERGERVS*, Profeſſor Vitebergenſis & Archiater Regis Poloniarum, hoc anno edidit *Phyſiologiam ſuam Medicam*: in qua fabricam & uſum corporis humani accurate perquiſivit, experimenta Ana-

l) Amſtelodami 4.

Anatomica nova, a se aliisque instituta, non pauca recensuit, iisque res multas dubias & intricatas docte illustravit. m)

Porro *Antonii PACCHIONI* Epistola de novis, circa *solidorum & fluidorum vim* in *viventibus, ac duræ menyngis structuram & usus*, observationibus, hoc anno etiam prodiit; n) & postea eiusdem disquisitio Anatomica *de duræ menyngis fabrica & usu*: o) in quibus duræ matris structuram & actionem musculosam proponit, eique magnas & admirandas vires tribuit. Pacchionus

Alius Italus, *Dominicus* scilicet *GVILIELMINI*, Exercitationem edidit de *Sanguinis Natura*: in qua non solum sanguinis constitutionem Guilielmini.

m) Impressa est Vitebergæ, non, ut titulus fert, Ao. 1702, verum 1701, prout præfatio & Acta Eruditor. Lipsiensia docent; ubi iam anno 1701, pag. 492, eius contenta recensentur.

n) In Actis Eruditor. Lipsiens. 1701, p. 415.

o) Romæ 8.

eiusque motum per arterias & venas, ſed & functiones arteriarum & auricularum cordis ex ſtructura earum mechanica eleganter exponit. p)

Hamelius. Eodem anno *Jo. Baptiſta HAMELIVS* Pariſiis latine evulgavit alteram editionem *Hiſtoriæ Academiæ Regiæ Pariſienſis*, priori longe auctiorem: atque in ea compendium retulit, illius, quicquid Academia hæc, ab initio fundationis ſuæ usque ad annum 1700, notatu maxime dignum, in omnibus ſcientiis, quibus operam dat, præſtitit, & inter has etiam maxime *anatomicas* ſociorum huius Academiæ *obſervationes* & inventa deſcripſit. q)

Caſp. Bartholinus. *Caſparus BARTHOLINVS, Thomæ filius*, edidit hoc anno Hafniæ *Specimen Hiſtoriæ anatomicæ* partium corporis humani, novis obſervationibus

p) Venetiis 8. & poſtea recuſa eſt Vltraiecti 1704. 8.

q) Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ, Autore Jo. Bapt. du Hamel. 4. Pariſiis. 1701.

nibus variisque figuris illustratum: quod eodem anno Amstelodami recusum est r). Exhibentur in hoc libro varia, quæ apud alios non occurrunt.

Henricus a DEVENTER publicavit *novum lumen obstetricantium*, sive artem obstetricandi; in quo Autor varias observationes anatomicas notabiles describit, multasque novas *de utero*, ipsius statu in gravidis, *placenta uterina & ossibus uterum ambientibus, figuras* sistit, quæ non parum lucis præbere possunt iis, qui hanc artem addiscere atque exercere recte cupiunt. s) Deventer.

BERENGER, Gallus, tractatus sui Gallici *de herniis* earumque curatione alteram editionem hoc anno emisit: in qua non solum *partium earum, in quibus herniæ contingunt*, satis Berenger.

r) in 4.

s) *Henr. a Deventer* Operationes chirurgicæ, quibus manifestatur artis obstetricandi novum lumen 4. Lugd. Batav. 1701. Deinde Germanica lingua Jenæ iterato impressus est. 8.

ſatis accuratam deſcriptionem, verum & figuras aliquot exhibet anatomicas, horum morborum naturam egregie illuſtrantes. t)

Bayle. *Franciſci quoque BAYLE* Opuſcula v) continent varia ſcripta anatomici argumenti: ut diſſertationem *de cauſis fluxus menſtrui, de ſympathia variarum partium cum utero, & hiſtoriam anatomicam graviditatis* 25 *annorum*: ideoque nec hic a nobis omittenda.

Preyſerus. *Io. Wolfgangus PREYSERVS*, Medicus & Profeſſor Viennenſis, in manus hominum dedit libellum, quem inſcripſit, *Oeconomia corporis animalis*, explicans actiones & uſus partium corporis humani per principia, ut Autor ipſe ſcribit, *peripatetico-Mechanica*, experimentis practicis, anatomicis & chemicis roborata. x)

Deni-

t) Traitè nouveau des descentes, par *Berenger* 8. a Paris. 1701.

v) Quæ Toloſæ prodierunt 4. 1701.

x) Viennæ Auſtriæ. 12.

Denique hoc anno *Michael. Bernhardi VALENTINI Pandectæ Medico Legales*, ſive Reſponſa Medico-forenſia prodierunt, in quibus res argumenti anatomici quamplurimæ pertractantur. y) Valentini.

Anno 1702, inclaruit *Iacobus KEILIVS*, Anglus, qui ſermone Anglicano *Anatomen corporis humani* perquam concinnam & brevem, attamen perquam utilem & egregiam edidit: quæ ab eo tempore minimum ſexies recuſa eſt. z) Anno 1702. Keilius.

Eodem anno Celebris Anatomicus Anglus, *Guilielmus COVVPERVS*, novam edidit *glandularum circa urethram virilem* ab ipſo detectarum deſcriptionem, quam figuris novis iisque elegantibus exornavit. a) Cowperus.

Hoc etiam anno *Io. Nicolai PECHLINI*, Profeſſoris Kilonienſis, exercitatio Pechlinus.

y) Francof. ad Mœnum. 4.
z) Titulus eſt, The Anatomy of the human Body abridg'd, London. 12.
a) Londini. 4.

tatio docta de *Purgantibus* recusa est b): in qua multa anatomica de *ventriculo*, *intestinis*, *hepate* & *pancreate* occurrunt.

Lanzonus. *Iosephus LANZONVS*, Ferrariensis, de *saliva humana* Exercitationem Medico-Anatomicam conscripsit: in qua ductuum glandularumque salivalium naturam sedulo exponendam sibi sumsit. c)

Baglivius. Eodem etiam anno *Georg. BAGLIVIVS* specimen suum edidit *de fibra motrice & morbosa*: d) in quo maxime vim solidarum partium in fluidas & præsertim etiam cum *Pacchiono* vim duræ matris contractilem examinat, atque inde deducere conatur, in morborum curationibus ad solida, eorumque elaterem & vim in fluida magis, quam hactenus factum est, a Medicis respiciendum esse:

b) Amstelodami. 8.

c) Impressus est hic liber Ferrariæ. 8. 1702.

d) Romæ 1702. & postea Vltraiecti 1703. ac Basileæ 1703. 8. aliisque in locis.

esse: qui liber postea sæpius variis in locis recusus est.

Hoc ipso anno Gallus, nomine *BESSE*, Medicinæ Doctor, *tractatum edidit anatomicum*, in duos tomos distributum: in quo structuram, actionem & usum partium corporis humani Gallico idiomate satis fusè descripsit; qui vero liber in Germania hactenus perquam rarus fuit. e) Besse.

Alius Gallus, cui nomen *SAVIARD*, Chirurgus Parisiensis quondam celebris, librum sub titulo *fasciculi observationum Chirurgicarum* conscripsit: in quo vero non paucæ simul continentur dissectiones atque observationes Anatomicæ. f) Saviard.

In

e) *Titulus est*, Recherche analytique de la structure des parties du corps humain, ou l' on explique leur ressort, leur jeu, & leur usage, par M. *Besse*, Docteur en Medecine. 8. a Toulouse.

f) Nouveau recueil d' Observations Chirurgicales, faites par M. *Saviard*, Ancien Maitre Chirurgien de l' Hotel Dieu & Iurè a Paris. 8. 1702.

Palfinus. In Flandria *Ioannes PALFINVS*, Chirurgus & Anatomicus Gandavensis, lingua Belgica *descriptionem ossium*, sive *Osteologiam* edidit per quam egregiam; in qua accuratius, quam antea factum est, universa Ossium doctrina, una cum eorundem morbis, horumque curatione exhibetur. g)

His denique adhuc addimus *Nicolai VENETTE*, Medici & Professoris quondam Rupellensis, tractatum Gallicum *de generatione hominis*: qui, licet sæpius iam antea fuerit impressus, tamen hoc anno, ut titulus fert, auctior atque correctior prodiit, h) cum figuris partium genitalium structuram & generationis nego-

Venette.

g) Inscriptio ita se habet, Waere en seer Naawkeurige Beschriiving der Beenderen van' Smenschen Lichaem &c. door Jan Palfijn Anatomicus &c. Gedrucktot Gendt. 8. 1702.

h) Titulus libri est, de la generation de l' Homme ou le Tableau de l' amour coniugal, par *Nicolas Venette* 12. a Cologne 1702.

negotium illuſtrantibus. Optandum vero eſſet, ut paullo caſtius ſcripſiſſet.

Annus MDCCIII multa quoque nobis ſuppeditavit ſcripta, rem anatomicam illuſtrantia; & primo quidem hic nominamus *Joannis BROEN Opera Medica* i): *ex quibus* potiſſimum huc pertinet eius *Oeconomia animalis*, in qua variæ obſervationes anatomicæ continentur: ut ea *de venis cordis*, in auriculas ſe exonerantibus, aliæque. An. 1703. Broen.

Longe vero magis rem anatomicam hoc anno exornavit *Johannes Mauricius HOFFMANNVS*, Collega quondam noſter in Academia Altorfina coniunctiſſimus, Conſiliarius vero hodie & Archiater primarius *Sereniſſimi Principis Brandenburgico Onoldini*, in libro ſuo, quem *Idea Machinæ humanæ* in ſcripſit: in quo omnia, quæ ad illud tempus ipſi innotuerant, inventa anatomica, una cum diverſis ſuis obſervationibus exhibuit. k) Jo. Maur. Hoffmannus.

C In

i) Roterodami. 4. k) Altorfii. 4.

Charriere. In Gallia *Josephus CHARRIERE* edidit lingua Gallica *Anatomen Capitis humani* l) non contemnendam; promittens simul reliquarum partium anatomen inposterum edendam; quod vero, quantum ego saltem scio, hucusque nondum præstitit.

Anonymus. Eodem anno Parisiis quoque prodiit liber Anonymi, Gallico sermone, qui inscribitur, *Ars conficiendi relationes Chirurgicas*: m) in qua vero multæ cadaverum incisiones atque observationes anatomicæ continentur.

Gibsons. In Anglia hoc anno nobis dedit *Thomas GIBSONS* lingua Anglicana integram *Anatomen corporis humani*, quæ interea ad annum 1716 septies recusa est. n)

Ridleius Deinde *RIDLEIVS*, qui iam antea

l) Anatomie de la Tete de l'home 8. Paris.
m) l'Art de faire les rapports en chirurgie. 8. 1703.
n) The Anatomy of humane Bodies. 8. London.

tea ob eruditum *de cerebro* tractatum, anglice conſcriptum, clarus erat, *obſervationes* lingua latina edidit, quas *Medico-Practicas* & *Phyſiologicas* appellat o): quibus vero multas annectit anatomicas curioſas, & ſimul, occaſione illius controverſiæ, in Gallia natæ, inter *Meryum* & alios, de *foraminis ovalis uſu in fœtu*, diſſertationem *de ſtructura vaſorum cordis in embryone*, & ſanguinis iuxta eum circuitu, quam novis figuris ſimul illuſtravit, adiecit.

Præterea *Joh. FREIND*, quoque Anglus, emiſit *Emmenologiam* doctiſſimam, in qua ſimul *uteri eiusque vaginæ ſtructuram* accurate conſiderat, atque inde fluxus menſtrui naturam ratiociniis Geometricis exponere ſatagit. p) Freind.

In Belgio prælaudatus *PALFYNVS* hoc anno idiomate Belgico edidit *Hiſtoriam curioſam anatomicam* Palfynus.

o) Londini. 8.

p) Londini 8, recuſa poſtea in Hollandia forma paullo minore.

duorum infantum modo monſtroſo concretorum. Quibus etiam in fine, occaſione modo nominatæ de *foramine ovali* controverſiæ, adiunxit deſcriptionem peculiarem *illarum viarum, quæ in fœtu* reperiuntur, per quas ſanguis alium ſervat circuitum quam in adultis: quæ omnia novis & nitidis figuris illuſtravit. q)

Ao. 1704. Spenerus.

Scriptores, qui Anno 1704 inclaruerunt, ſunt *Chriſtianus Maximilianus SPENERVS, qui* Joannis *Browne Myographiam*, quæ aliquoties antea in Anglia & Hollandia recuſa eſt, ex Anglico in Germanicum vertit, notisque variis atque additamentis auctam edidit. r)

Schelhammerus.

Guntherus Chriſtophorus SCHELHAMMERVS, Medicus & Profeſſor quondam Academiæ huius Juliæ, poſtea

q) Anatomycke of ontleedkundige Beſchryving, rakende de wonderbare geſteltnis van twe Kinderen, de welke monſtreuſelijk aen malkander vereenigt zijn &c. 8. Te Guendt 1703.

r) fol. Berolin. 1704.

poſtea Jenenſis, ac denique Kilonienſis, perquam celebris, edidit *Analecta Anatomico-phyſiologica*, brevibus theſibus comprehenſa: s) in quibus proprias obſervationes & ſententias anatomicas atque phyſiologicas circa res, ubi inciſione cadaverum vel ſingulare quid ſe obſervaſſe, vel ſcriptores anatomicos aut phyſiologicos erraſſe credidit, publico eruditorum iudicio expoſuit, erroresque illorum indicare atque emendare ſtuduit: inprimis vero acerbas, imo ſæpe plusquam acerbas animadverſiones in *Verheyeni* Anatomen, *Williſium*, *Nuckium*, *Gavettum*, *Tournefortium*, *Highmorum*, *Vieuſſenium*, *Leuwenhœckium*, *Bellinum* &c. exhibuit.

Jo. Conr. BECKERVS de *ſubmerſorum morte ſine pota aqua* tractatulum evulgavit: in quo oſtendit, ſubmerſos in aqua non ob potam aquam, ut multi vulgo crediderunt, mori; ſed ob ſuffocationem: & in talium defunctorum ventriculis parum vel nihil aquæ ſectione deprehendi. t) C 3 De- Beckerus.

s) Kiliæ 4. 1704. t) Gieſſæ. 8.

Deinde in Italia *Antonius Maria VALSALVA* elegantem edidit tractatum *de aure humana*, multis novis obſervationibus circa auris fabricam, nitidisque figuris exornatum: in quo ſimul nova *ductus ſalivalis, muſculorum uvulæ* atque *pharyngis deſcriptio* & delineatio continentur. v)

Valſalva.

Petrus MATTHAEVS Conſentinus, *Animadverſiones Phyſico-Medicas* edidit; in quibus Phyſiologiam ſive functiones humani corporis partium ſcite expoſuit. x)

Matthæus Conſentinus.

BAGLIVII quoque *Praxis Medica*, cum diſſertationibus variis, quæ anatomici ſunt argumenti, hoc anno in lucem prodierunt: ut de *Anatome Tarantulæ, de ovis oſtrearum detectis, experimenta varia anatomico-infuſoria, de circulatione ſanguinis in rana, hiſtoria morbi & ſectionis cadaveris Marcelli Malpighii*; quæ omnia interea variis in locis varia forma denuo impreſſa ſunt. Inter

Baglivius.

v) Bononiæ. 4. Recuſus deinde Traiecti ad Rhenum 1707. 4.

x) Neapoli 4. 1704.

Inter Gallos *Ludovicus LEMERY* hoc anno Gallica lingua dissertationem evulgavit *de nutritione ossium, & natura usuque medullæ:* in qua egregie eius fabricam & usum exposuit. y) Lemery.

Anno 1705 *MERYVS* supra iam laudatus tractatum edidit Gallicum, quem *physicum* appellat: z) in quo primo examen instituit *observationum Vernei* (vulgo *du verney*), quas in corde testudinis terrestris instituit; ubi simul respondet obiectionibus, quas *Verneus* systemati ipsius *de circulatione sanguinis per foramen ovale in fœtu humano* opposuit. Præterea censuram exhibet observationum, quas *Bussiere* in corde testudinis marinæ instituit: adiiciens *descriptionem cordis & huius testudinis, & simul magnæ testudinis terrestris Americanæ.* Ao. 1705. Meryus.

y) Dissertation sur la Nourriture des Os, ou l'on explique la nature & l'usage de la moëlle. a Paris. 8. Anno 1704.

z) Titulus est, *Traitè physique de Monsieur Mery*, a Paris. 1705. 4.

Courtial. *Joh. Josephus COVRTIAL* novas etiam obſervationes anatomicas de oſſibus & de nonnullis aliis partibus Gallice edidit: a) ſcripſit enim inter alia de *formatione & ſtructura oſſium, nutritione eorundem, de medulla, de ſingulari fragilitate & mollitie oſſium obſervata, de novis vaſis lymphaticis hepatis, de liquore pericardii, de infante extra uterum reperto &c.*

Andrii. Hoc ipſo anno Amſtelodami *ANDRII* diſſertatio quædam prodiit argumenti anatomici: in qua de *Medulla* agit; ubi eos præcipue refutare ſatagit, qui docuerunt, *medullam non nutrire oſſa, eamque ſenſu gaudere.* b)

Vieuſſens. Raymundus *VIEVSSENIVS*, Medicus Monspelienſis, Neurographia ſua, aliisque ſcriptis ſuperiori ſeculo editis, clarus, iam quoque *novum vaſorum corporis humani ſyſtema* edidit:

a) Nouvelles obſervations anatomiques ſur les os, par Jean Joſeph *Courtial*, a Paris. 1705. 8.

b) Eclairciſſement ſur le livre de la generation des Vers. a Amſterdam. 1705. 8.

edidit: in quo præter alia demonstrare suscepit, *reliqua corporis vasa ab arteriis oriri*, & viscera, eousque vulgo pro partibus glandulosis habita, non nisi ex congerie subtilissimorum vasculorum constare cum *Ruyschio* autumat: idque multis experimentis it probatum. c)

Santorinus

In Italia *Jo. Dominici SANTORINI* opuscula Medica *de structura & motu fibræ*, de *nutritione animali*, de *hæmorrhoidibus & catameniis* prodierunt. d)

Pacchionus.

Præterea *Antonius PACCHIONVS* dissertationem epistolarem edidit de *glandulis conglobatis duræ menyngis humanæ, indeque ortis lymphaticis ad piam menyngem productis*. e)

Heyne.

Joannes Ch. HEYNE, Suecus, tentamen *de ossibus* eorumque morbis, evulgavit, in quo structuram & naturam ossium breviter pertractat. f)

c) Amstelodami. 8.
d) Venetiis. 8. Recusa postea Roterodami. 8.
e) Romæ. 8. f) Amstelodami. 8.

Francus. Deinde hoc anno a *Georgio Frid. FRANCO de Frankenau* edita eſt *Anaſtomoſis retecta;* in qua varias vaſorum oſculationes cum negantium rationibus & obiectionibus, itemque mutuas certasque vaſorum in corpore connexiones, functiones & ſecretiones animales, cum uſu membranarum, clare oſtendere conatur. g)

Warlizius. Ita & eodem tempore *Chriſtian. WARLIZIVS* dedit *Scrutinium lachrymarum*, quo in libro varia, ad Anatomen ſpectantia, reperiuntur. h)

Lowthorpius. Maxime vero hunc annum exornavit *Joannes LOWTHORPIVS*, qui in Anglia *Acta Societatis Regiæ Anglicanæ*, quæ vulgo *Transactiones Philoſophicas* appellant, ab initio huius Societatis usque ad initium huius ſeculi in compendio edidit, in certum ordinem atque capita digeſſit, & præcipue res anatomicas, quæ antea diſperſæ, multoque labore inquirendæ erant, pulchra ſerie coniunxit, ut facili

g) Haffniæ. 4.
h) Vitebergæ. 8.

cili negotio nunc reperire queamus, quæ desideramus. Nulla vero pars est corporis, de qua non observationes curiosæ hic inveniuntur. i)

Inter scriptores, qui gloriam anno 1706 conciliarunt, primum locum meretur *Jo. Bapt. MORGAGNVS*, qui *Adversaria sua Anatomica prima* Bononiæ, eleganti charta & typo, hoc anno primum evulgavit: quæ deinde etiam Lugduni Batavorum, & postea anno superiori Patavii una cum quinque aliis suis Adversariis nitidissime recusa sunt. k) Describit in illis primo varia nova, a se ipso primum inventa; deinde cognita quædam veteribus, sed neglecta a recentioribus, veris inventoribus suis vindicat & restituit; ac denique varios errores nonnullorum anatomicorum egregie emendat. Porro

Ao. 1706. Morgagnus.

i) Titulus est, The philosophical Transactions and Collections to the End of the Year 1700 abridg'd and dispos'd under General Heads, in three volumes, by *Joh. Lovvthorp.* London. 4. 1705.

k) Editio Bononiensis & Patavina impressa est in 4; Belgica vero in 8.

Desnoues

Porro *Georgius DESNOVES* sive *NOVESIVS*, Anatomiæ & Chirurgiæ quondam Professor Bononiensis, epistolas edidit Gallico sermone de variis novis inventis, & inter hæc etiam de inventis anatomicis agentes; ut de *singulari quodam reptatu nervi auditorii per aurem*, *de artificiosa vasorum repletione*, *de methodo partes elegantissime cera effingendi sive imitandi*, l) quo ultimo artificio omnes alios hucusque superavit.

Vieussens.

Ita & *VIEVSSENIVS* antea laudatus parvo in libello Gallico *nova*, *quæ in corde invenit*, descripsit: in quibus loca indicare satagit, e quibus *Cartesii fermentum cordis* provenire credit. m)

Le Clerc.

Præterea *LE CLERC*, Medicus Parisinus, *Osteologiam* lingua Gallica edidit, quam ipse *exactam* & *completam* appellare non dubitat. n)

Ibidem

l) Romæ. 8.

m) Nouvelles Decouvertes sur le cœur. a Paris. 8.

n) L'Osteologie exacte & complette par M. Le Clerc. a Paris. 8.

Anonymus.

Ibidem *Anatomica Dissertatio Gallica anonymi* prodiit, in qua sententiam eorum impugnat auctor, qui statuunt, *generationem fieri ex ovo.* o)

Coward.

In Anglia *Guilielmi COWARDI* Ophthalmiatria prodiit: in qua simul oculorum fabricam & usum describit. p)

Needham.

At in Hollandia hoc anno recusæ sunt *Gualtheri NEEDHAMI Observationes anatomicæ: fœtum, placentam uterinam, membranas fœtus, & vasa umbilicalia potissimum respicientes* atque illustrantes. q)

Zittmann.

Ad Anatomicos Scriptores huius anni non immerito adhuc referendam esse censemus *Jo. Frider. ZITTMANNI Medicinam forensem*, germanice impressam: in qua centuriæ sex casuum Medico-forensium referuntur,

o) Dissertation anatomique sur la generation de l'homme, dans laquelle on combatte le Systeme des Ovaristes. 12. Paris.
p) Londini. 8.
q) Lugd. Batavor. 12.

runtur, de quibus Collegium Medicum Academiæ Lipſienſis ſuam expoſuit ſententiam: ubi multa occurrunt ad rem anatomicam & phyſiologicam pertinentia. r)

Ao. 1707. Pauli. In Germania, Anno 1707, *Jo. Guilielmus PAULI*, Profeſſor Lipſienſis, *Hornii Microcosmum*, ſive Compendium anatomicum, doctis notis & additionibus quamplurimis ſuisque obſervationibus auctum edidit. s)

Naboth. Ibidem *Martinus NABOTH*, Medicus quoque & Anatomicus Lipſienſis, diſſertationem conſcripſit de *Sterilitate*, in qua corpuſcula ſphærica in orificio uteri mulierum interno ſæpe occurrentia, pro *novo & vero mulierum ovario* declarat. t)

Adhuc ibidem *Beniamini Benedicti*
Peterman. *PETERMANNI*, Medici Lipſienſis, *obſervationum Medicarum Decades tres*, inter quas multæ cadaverum inciſiones, editæ ſunt. v) Fran-

r) Francofurt. 4. s) Lipſiæ. 8.
t) Lipſiæ. 4.
v) Lipſiæ. 8.

Francofurti vero *CASSERII Tabulæ Anatomicæ*, germanice prodierunt, cum additamentis & annotationibus novis *Jo. Jac. FICKII*, Professoris nunc ordinarii Jenensis. x) Casserius.

SCHELHAMMERVS supra iam laudatus, *Phocæ Maris* & *Xiphiæ piscis* curiosam anatomen edidit. y) Schelhammerus.

In Anglia *Jacobus DRAKE Anthropologiam* novam, sive *novum systema Anatomiæ*, duobus voluminibus, Anglice divulgavit, elegantibus eisque multis novis figuris & inventis refertissimum. z) Drake.

Ibidem *Jacobus DOVGLAS* scripsit *Myographiæ comparatæ specimen*, sive descriptionem, ut vocat, *comparativam* omnium musculorum in homine & quadrupede, lingua quoque Anglicana; quibus addidit descriptionem novam *musculorum mulieribus propriorum* & tabulam etymologicam. a) Douglas.

Præ-

x) Francofurti. 4.
y) Hamburgi. 4.
z) Londini. 8.
a) Londini. 12.

Floyer. Præterea Jo. *FLOYERI* Tractatus de *pulsibus* prodiit: in quo *circulationis negotium pulsuumque naturam* ex mechanica cordis, arteriarum ac venarum fabrica eleganter exponit. b)

Eustachius. In Hollandia *Opuscula anatomica Bartholomæi EUSTACHII*, celebris illius Anatomici Itali, hactenus adeo rara & tantopere desiderata, recusa sunt: quibus adiecerunt *Lealis LEALIS* Exercitationem epistolicam *de partibus semen conficientibus in viro;* in qua præcipue *resolutionem vesicularum seminalium* in intestinulum, quasi cœcum, primus docuit atque delineavit, aliaque ab aliis diversa tradidit. Hæc vero ultima an cum veritate conveniant, penes alios esto iudicium. c)

Strœm. Ibidem etiam *Christianus STROEM*, Suecus, dissertationem edidit, quam inscripsit: *Ratiociniorum mechanicorum*

b) The Physicians Pulse-watch, by John Floyer, London. 8.

c) Lugduni Batavor. 8.

rum in Medicina usus vindicatus; & paullo post, eodem adhuc anno, *novam theoriam motuum reciprocorum machinæ animalis, ex partium organicarum structura & proprietatibus deductam*: in quibus varia Anatomen illustrantia occurrunt d).

In Italia eruditissimi *Jo. Mariæ LANCISII* liber *de mortibus subitaneis* prodiit; in quo varias incisiones cadaverum recenset, subitaneis morbis denatorum. e) Lancisius.

In Gallia *Antonius MAITREJEAN*, Chirurgus, tractatum edidit, qui multum rumoris concitavit, *de morbis oculorum*, sermone Gallico; cui non solum amplam oculi descriptionem anatomicam præmisit; verum etiam in sectionibus oculorum, cataracta laborantium, nullum corpus membranosum, sed crystallinum oculi humorem opacum invenit. f) Maitre-Jean.

d) Amstelodami. 8.
e) Romæ. 4. & postea Lipsiæ, 8. 1709.
f) Traitè de maladies de l' oeil, a Troyes. 4.

Hartſœker. Anno 1708 *Nicolaus HARTSOEKER*, celebris Phyſicus atque Mathematicus, tractatum orbi erudito exhibuit Gallicum, quem *continuationem* vocat *coniecturarum phyſicarum*. g) In quo præcipuarum partium corporis humani ſtructuram & uſum, ex principiis mechanicis, exponit.

Bidloo. *Godofredus BIDLOVS*, Profeſſor quondam Leidenſis, hoc quoque anno *Exercitationum ſuarum Anatomico-Chirurgicarum* decades duas edidit, h) quarum Anno 1704 unam tantummodo publicaverat. Continent diſſertationem de *nervis*, quos ſolidos eſſe vult; de hydatidum generatione, de oſſe cribroſo & nervis olfactoriis, de exoſtoſi; aliave ſimilia anatomes argumenta.

Redi. Ita & *Francisci REDI* obſervationes *de animalculis* (ut vocant) *vivis, quæ in cor-*

g) Suite des Conjectures phyſiques, a Amſterdam. 4.

h) Lugduni Batavor. 4. prior vero decas iam 1704 in 8 ibidem apparuerat.

corporibus animalium vivorum reperiuntur, latine, multis cum figuris, impressæ sunt. i)

Antonius Nicolaus BARNABEVS ad *Lancisii* modum Dissertationem edidit de *mortibus subitaneis*, lingua Italica, cuius gratia cadavera quoque varia dissecuit. k) Barnabeus

Adamus THEBESIVS, Silesius, dissertationem conscripsit *de novo circulo sanguinis in corde*: in qua novas venulas, in superficie interna thalamorum cordis delineavit & descripsit, per quas continuo sanguis ex interiori cordis substantia in cavitates cordis exoneratur. l) Thebesius.

Ita & *LOWERI* tractatus doctissimus *de Corde*, sæpe iam antea recusus, Lugduni Batavorum hoc anno nitide iterum impressus est. Lowerus.

i) Amstelodami. 12.

k) Dissertatione delle morte improvisi. Roma, 1708. 4.

l) Lugd. Batavor. & deinde quoque Iavoriæ in 4. Recusa vero est postea Lugdun. Bat. 8. 1716. cum *Hovii* Dissertatione.

Alghisius. In Italia *Thomæ ALGHISI* tractatus de *Lithotomia*, sive calculi e vesica extractione, prodiit sermone Italico: m) in quo novam descriptionem novasque figuras *partium urinæ secretioni atque excretioni destinatarum*, quæ pro calculi sectione rite peragenda scitu valde sunt necessariæ, exhibet.

Keilius. Referri huc etiam potest *Jacobi KEILII*, Angli, tractatus, anglice conscriptus, de *secretione animali*, n) quantitate sanguinis in corpore humano, & motu musculari: quia in eo varia ad Anatomen & Physiologiam pertinentia occurrunt. Prodiit deinde idem rursus liber, pauco abhinc tempore, mutato solum titulo, paullo auctior. o)

Hambergerus. Ex Dissertationibus physico-Mathe-

m) Litotomia, ou vero del cavar la Pietra trattaro, di Tommaso Alghisi, Academico Florentino, in Venezia. 4.

n) An account of Animal secretion and muscular motion. 8. London. 1708.

o) Essay on several parts of the animal œconomy, by James Keil, 8. London 1717.

thematicis *Georgii Alberti HAMBERGERI*, hoc anno Jenæ editis, referenda huc eſt ea, in qua *ex anatome, ſive conſideratione fabricæ mirabilis cordis, Deum demonſtrat.* p)

PALFYNVS Gallice publicavit tractatum *de partibus genitalibus mulierum*, cum tractatu de monſtris Liceti, Gallice verſis; cui novas obſervationes adiecit, ut & diſſertationem illam de circulatione *ſanguinis in fœtu* contra Meryum. q) Palfynus.

Anno 1709 apparuit *Laurentii TERRANEI* tractatus *de glandulis* univerſim & ſpeciatim *ad urethram virilem novis*, quem aliquot figuris illuſtravit; r) quæ tamen glandulæ novæ eædem prorſus eſſe videntur, quæ iam antea a *Cowpero*, *Littrio*, & *Morgagnio* deſcriptæ fuerunt. An. 1709. Terraneus.

Dublini in Irlandia *Georgius BERKELEY tentamen novæ theoriæ viſi-* Berkeley.

p) Jenæ. 4.
q) Lugd. Batavor. 4.
r) Taurini 8.

onis lingua Anglicana publicavit, s) in quo *oculi anatome* continetur.

Briſſæus. In Gallia *BRISSAEI* Tractatus *de Cataracta & Glaucomate*, Gallico ſermone, lucem aſpexit: t) qui ex diverſis ſchediasmatibus, paullo ante diverſo tempore impreſſis, maxima ex parte coaluit. In hoc vero præmiſit concinnam oculi deſcriptionem; poſtea vero ſuas aliorumque deſcribit obſervationes, quibus invenerunt, cataractæ cauſſam ordinarie non pelliculam, ut vulgo voluerunt, ſed *humorem cryſtallinum opacum* fuiſſe.

Liſterus. *Martinus* vero *LISTERVS* in Anglia amplam diſſertationem *de humoribus* hoc anno evulgavit; in qua multa argumenta anatomica pertractantur, multæque novæ ſententiæ phyſiologicæ de variarum partium actione atque uſu proponuntur: v) Ita

s) an Eſſay towards a new Theory of viſion. Dublin. 8.

t) Traité de la cataracte & du Glaucoma par M. *Briſſeau*. Paris. 8.

v) Londini. 8. recuſus poſtea eſt hic liber Amſtelodami 1711. 8.

Ita & *Jo. Conradi BRVNNERI*, a longo iam tempore Archiatri Palatini primarii celeberrimi, sacrique R. I. liberi Baronis, eruditus *de Pancreate* tractatus hoc anno eadem forma, ut antea, iterum impressus est in Hollandia. Brunnerus

In Germania vero *Jo. Henricus HEVCHERVS*, Professor Vitebergensis, Regisque Poloniarum hodie Archiater, dissertationem promulgavit, quam *ARS MAGNA, ANATOME*, inscribit: in qua solide ostendit, *Anatomen artem* esse revera *magnam*, sive utilitatem & iucunditatem eius respicias, in cognoscendo corpore sano, sive necessitatem eius ad veram debellandi morbos rationem consideres, sive denique difficultatem & requisita quamplurima intuearis, quæ ad eam, cum rite docendam, tum recte addiscendam, requiruntur. Confutat igitur calumniatores atque osores eius, demonstratque, non solum cadaverum humanorum, verum etiam aliorum animalium incisiones, ad corpus hu- Heucherus

manum rite cognoſcendum, neceſſarias eſſe; neque ſufficere aut figuras pictas, aut cera, aliave arte repræſentatas partes, etiamſi ceteroquin ſint perquam utiles, ad corporis noſtri fabricam intime percipiendam, aliasque obiectiones miſanatomicorum, quas vulgo obtrudunt, refellit. Aggreditur poſtea ipſius artis nobiliſſimæ tractationem, iudiciumque fert de priſca *Democriti*, *Hippocratis*, *Ariſtotelis*, *Ægyptiorum*, *Græcorum* aliorumque anatome. Docet deinde anatomen & *manuductione & libris* ſimul recte addiſcendam, bonamque diſſecandi ſive inciſiones adminiſtrandi methodum ambobus hisce adminiculis comparandam eſſe. Agit præterea *de apparatu*, quo ſector opus habere videtur, *de requiſitis ſectionum magiſtri*, *de impedimentis* & difficultatibus in ſectione occurrentibus, maxime de *ſanguine*, ſectiones turbante: cuius occaſione prolixe diſſerit de methodo *Bilſii*, qua *ſine ulla ſanguinis effuſione* ipſum corpora humana beſtiarumque diſſecuiſſe ferunt,

runt, & quæ præter hæc magna promiſerit, recenſet. Porro de *ordine* deliberat, quem ſector potiſſimum ſequi debeat, tam generatim, quam ſpeciatim in muſculis, inteſtinis, cerebro, aure, aliisque partibus. Denique recenſet multas varietates, quibus corpora ratione vaſorum, ductuum, numeri, ſitus partium, figuræ, magnitudinis, variare ſolent, quas *luſus naturæ* vulgo vocant; tandemque cautiones addit, ſectoribus probe obſervandas, ut omnia methodo convenientiſſima dividere, præparare, atque oſtendere queant. u)

Anno 1710 *Philippi VERHEYENI* altera Anatomes ſuæ editio poſt obitum Auctoris prodiit, novis obſervationibus, pluribusque figuris priori auctior: cui ſimul addidit, tanquam ſupplementum anatomicum, librum ſecundum diu a multis deſideratum; in quo *partium uſus & munia* explicat. Accedit quoque deſcriptio anatomica *partium fœtui & recens nato propriarum*, itemque con- An. 1710. Verheyen.

u) Vitebergæ. 4.

controversia *de foramine ovali*, inter Autorem & *Meryum* agitata. x)

Bohnius. Hoc ipso anno etiam in conspectum hominum prodiit altera editio circuli Anatomico-Physiologici, celeberrimi *Jo. BOHNII*: cui variæ nunc dissertationes Autoris adiectæ sunt, quæ in priori deficiebant, eadem, uti prior, forma.

Bianchi. Recens vero in Italia lucem aspexit *Jo. Baptistæ BIANCHI* Historia *hepatis*, sive Tractatus *de hepatis structura, usibus & morbis*; in quo varias recentiorum sententias de hepatis fabrica & secretionibus impugnat. y)

Barchusen. In Belgio *Jo. Conradus BARCHUSEN*

x) Bruxellis. 4, Tomi II. postea eadem forma Coloniæ, ut titulus fert, An. 1712 recusus est, cum variis *Vieussenii* additamentis, & integra eiusdem nova dissertatione de *structura & usu uteri atque placentæ uterinæ*. Deinceps etiam Lipsiæ in 8. latine & germanice prodiit.

y) Augustæ Taurinorum 4. 1710. Habetur etiam cum titulo 1711, sed non est alia editio, verum nil nisi titulus mutatus.

SEN Hiſtoriam Medicinæ in publicum emiſit: in qua integro dialogo *Anatomes uſum in Medicina* demonſtrat. z)

In Gallia *Petrus DIONIS*, Chirurgus Pariſinus egregius, ad exemplum *Lanciſii* diſſertationem hoc año edidit *de mortibus ſubitaneis*; ubi varia exempla recenſet eorum, quos diſſecuit, qui mortibus ſubitaneis interierant: ubi ſimul, quid in eis ſingulare obſervaverit, deſcribit. a) Dionis.

Obſtetrix Pariſienſis perquam celebris, *DE LA MARCHE* dicta, librum olim conſcripſit, in quo præcepta tradit obſtetricibus, ſcitu & utilia & neceſſaria, qui hoc anno recuſus eſt. Hoc vero in libro, ſicut in plerisque ſimilibus factum eſt, non ſolum *partium genitalium* deſcriptio exhibetur, verum etiam delineatio *uteri*, itemque *uteri duplicis rariſſimi*, in de la Marche.

z) Amſtelodami 8.

a) Diſſertation ſur la morte ſubite, par M. Dionis, aParis. 1710.12. recuſa ibidem 1718. cum additamento de Catalepſi.

in mortuaquadam femina Parisiis reperti, sistitur. b)

Daglius. In Miscellaneis Berolinensibus, hoc anno impressis, *DAGLII* modus peculiaris cadavera condiendi laudatur.

von Lindern. *Franciscus Balth. VON LINDERN* edidit brevem *Osteologiam* lingua Germanica: in qua ossium doctrinam brevissime exponere allaboravit. c)

Anonymus. Lipsiæ vero *liber Anonymus* exiguus sermone quoque Germanico prodiit, cuius inscriptio est, *Processus Anatomicus*: in quo ostendere satagit autor, quomodo Medicus vel Chirurgus sectionem corporis humani, si illud secundum artem incidere vult, optime addiscere queat. d)

An. 1711. Fantonus Annum 1711 *Jo. FANTONVS*, in Taurinensi *uniuersitate* Anatomiæ Pro-

b) Instruction familiere & utile aux sages femmes, par Madame *de la Marche*, a Paris. 8. 1710.

c) Argentorat. 12.

d) Lipsiæ. 8.

Professor, erudita corporis humani Anatomia egregie illustravit: e) attamen tunc temporis non nisi partem priorem, in qua infimi & medii ventris historia exponitur, exhibuit; posteriorem vero edendam adhuc promisit; id quod vero hactenus, quantum novi, nondum præstitit. Reperiuntur in hoc libro doctissimo elegans & floridus stylus, egregiæ observationes atque experimenta anatomica, ac pulcherrima de usibus partium ratiocinia.

Præterea in Italia *Jacobus VERCELLONIVS*, Pedemontanus, dissertationem anatomicam edidit *de glandulis œsophagi conglomeratis*: f) in qua *novos ductus excretorios* ex glandulis, thyroidea, iugularibus, trachealibus, dorsalibus & aliis in œsophagum desinentes, describit, quos humorem digestivum, simul cum vermiculis, nescio quibus, digestioni inservientibus, in ventriculum deponere existimat. Vercellonius.

Hoc

e) Augustæ Taurinor. 4. f) Astæ. 4.

Bellinus. Hoc anno etiam *Laurentii BELLINI* Exercitationes Anatomicæ, de *ſtructura & uſu renum*, ut *& de guſtus organo*, recuſæ ſunt: g) quibus renum monſtroſorum exempla adiecerunt.

Gliſſonius. Drelincurtius. Bellinus. Deinde quoque *Francisci GLISSONII* opera practica atque anatomica, h) ut & *DRELINCVRTII* liber de lienoſis, (cui acceſſit *BELLINI* conſideratio nova de *modo & natura reſpirationis*,) denuo e prelo prodierunt. i)

Mahlerus. *Curtialii*, *Petiti* & *Lemerii* ſcripta de oſſibus a *Jo. Andrea MAHLERO*, Germanice reddita, ſub nomine *Medici oſſium* (BeinArzt) impreſſa ſunt. k)

Verduc. In Gallia hoc anno *VERDVCCI Myologia* Gallice e prelo emerſit: l) a *Me-*

g) Lugdun. Batavor. 4.
h) Amſtelod. 12. 3. vol.
i) Lugd. Batav. 8.
k) Dresdæ. 8.
l) Pariſiis. 12.

a *Meryo* vero *problemata varia physica*, ad fœtum in utero, eiusque nutritionem, vitam & partum pertinentia, lingua quoque Gallorum edita sunt. m) Meryus.

Mich. Bernh. VALENTINVS in lucem dedit *Novellas Medico-legales*, sive Responsa Medico-forensia, in quibus quoque *anatomica* quædam occurrunt; n) Valentin.

ERNDELIVS vero iter suum Anglicanum & Batavum, in quo varia Anatomica referuntur, in secula emisit. o) Erndelius.

An. 1712 in Italia lucem aspexerunt *Francisci Mariæ NIGROSOLII* considerationes de *generatione viventium & sigillatim monstrorum, lingua Italica*; p) *in quo libro multa curiosa continentur ad anatomen pertinentia.* An. 1712. Nigrisolius.

Porro

m) a Paris. 4. n) Francofurti. 4.
o) Amstelodami. 8.
p) Considerazioni intorno alla generatione de' viventi & particolarmente de' Mostri. in Ferrara. 1712. 4.

Pascolus. Porro *Alexandri PASCOLI* Anatome vernacula Italorum conscripta, quæ, ut supra iam dictum, An. 1700 Perusiæ primum prodiit, iterum hoc anno impressa est. q)

deSandris. Ita & alius Itali, *Jacobi* scilicet *DE SANDRIS*, in Academia Bononiensi Anatomiæ & Chirurgiæ Professoris, tractatum antea rarissimum, *de naturali & præternaturali sanguinis statu*, ut & *de ventriculo, glandulis & emeticis*, qui Bononiæ primum prodierat, r) hoc anno *Johannes*
Juncken. *Helffricus Juncken*, ob præstantiam, ut ait, suam, recudi curavit s). Continet vero hic liber non pauca *argumenti anatomici atque physiologici.*

Hoc etiam anno Parisiis *Francisci*
Mauriceau *MAURICEAU* tractatus Gallicus, perquam celebris, *de morbis gravidarum & puerperarum* quinta vice cum augmentis & novis observationibus lucem

q) il corpo umano *di Alessandro Pascoli* in venezia. 1712. 4.
r) Anno 1696. 4.
s) Francofurti. 8.

lucem aſpexit: in quibus multa ſunt, quæ ad anatomiam pertinent. t)

Ibidem Tractatus *de digeſtione & morbis ventriculi*, lingua Gallica, ſine nomine Autoris prodiit; quem vero *HECQVETVM*, Medicum Pariſienſem doctiſſimum, eſſe nonnulli perhibent. Multa in hoc libro occurrunt anatomici & phyſiologici argumenti. v) Hecquet.

Porro in Anglia prodierunt *GIBBSII* obſervationes de *ſcrophuloſis affectibus*: quibus novas, ut ait, conſiderationes addidit *de ſtructura glandularum & ſecretione animali*. x) Gibbs

In Germania *Abraham. VATERVS*, nunc Profeſſor Vitebergenſis, Parentis ſui, *Chriſtiani VATERI*, itidem Vaterus

E Pro-

t) a Paris. 4. 2. vol.

v) de la Digeſtion & des maladies de l' eſtomac, ſuivant le ſyſteme de la trituration &c. a Paris 8.

x) obſervations of various eminent cures of ſcrophulous Diſtempers, by *D. Gibbs* London 8. 1712.

Professoris Vitebergensis, *Physiologiam experimentalem*, quam ante decennium hic primum ediderat, longe auctiorem atque correctiorem denuo emisit: in qua experimenta anatomica egregia quam plurima describuntur. y)

Mullerus. Huc referendus est *Jo. Matthiæ MVLLERI* tractatus *de Effractura Cranii*, in quo autor quam plurimas annotationes anatomicas, Anatomen præsertim capitis illustrantes, adiecit. z)

Camerarius. Præterea his addendæ *Eliæ CAMERARII*, Professoris Tubingensis, dissertationes, quas Taurinenses vocavit: in quibus de variis argumentis anatomicis differit. a)

An. 1713. Hoffmannus. Ex scriptis anatomicis, quæ Annum 1713 exornarunt, sequentia mihi innotuerunt; ut primo *Jo. Mauricii HOFFMANNI*, supra iam laudati, *dis-*

y) Vitebergæ. 4.
z) Halæ Suevorum. 8.
a) Tubingæ. 8.

disquisitio corporis humani anatomico pathologica: b) in qua multa collegit, quæ ex Anatomia ad Pathologiam illustrandam, sive ad morborum naturam & sedem rite cognoscendam, faciunt.

Deinde *Jo. Baptistæ FANTONI* observationes *Anatomico Medicæ* tertium hoc anno editæ sunt; c) quas vero hac in editione *Joh. Fantonus*, filius, notis & observationibus illustravit, iisque *Lancisii* dissertationes duas adiecit: alteram, *de Physiognomia*; alteram, de *sede animæ cogitantis*. Fantonus.

Præterea laudati *PACCHIONI* Dissertationes binæ, illustrandis *duræ menyngis eiusque glandularum structuræ atque usibus* concinnatæ, ad *Jo. Fantonum* datæ, iterum prodierunt. d) Pacchionus.

Porro hoc anno *Dominicus ANELLUS* in Italia novam cum eru- Anellus.

b) Altorfii Noricor. 4.
c) Venetiis. 4. priores editiones non vidi.
d) Romæ 1713. 8.

dito orbe communicavit methodum *ſanandi fiſtulas lachrymales*, lingua Gallica; in qua *viarum lachrymalium* egregiam exhibet deſcriptionem. e)

Kennedy

In Anglia *Petrus KENNEDY* ophthalmographiam, ſive *tractatum de oculis*, lingua Anglicana, edidit: f) in cuius parte prima novam & exactam, ut perhibet, oculi deſcriptionem ſiſtit. In appendice etiam agit *de communicatione oculorum & aurium.*

Cheſeldenius.

Speciatim vero laudanda eſt *Guilielmi CHESELDENII*, Chirurgi Londinenſis, & ſocii Academiæ Regiæ, quæ Londini eſt, *Anatome corporis humani*, lingua Anglicana quoque conſcripta: in qua non ſolum in viginti tribus tabulis æneis multas easque egregias delineationes novas variarum partium exhibet, ſed & varia, ab aliis non obſervata, deſcribit. g) Hoc

e) Nouvelle Methode de guerir les fiſtules lacrimales, par *Dominique Anel.* 4 a Turin. 1713.

f) Londini. 8.

g) The Anathomy of the humane Body, by

Hoc anno etiam *Christiani Henrici KIRCHHEIM vade mecum Anatomicum*, Germanica lingua, pro usu Chirurgorum nostratium, in lucem prodiit, atque uno hoc eodemque anno Dresdæ, in forma, ut vocant, duodecima maiori; Lipsiæ vero in duodecima minori impressum est. Kirchheim

In prælaudati *VALENTINI Medicina Nov-antiqua*, quam hoc anno recudi curavit, continetur, præter alia anatomica, delineatio ductus thoracici hominis nova, ex *Saltzmann* dissertatione, de Encheirisi nova, ductum thoracicum in quovis subiecto humano demonstrandi, depromta. h) Valentinus

Denique etiam hoc anno *Andreas Ottomarus GOELICKE historiam Anatomiæ novam atque antiquam*, sive conspectum plerorumque, ut ait, scriptorum, qui Anatomiam illustrarunt, Goelicke

by W. *Cheselden*, Surgeon. London. 8. 1713.

h) Francofurti ad Moen. 4.

edidit. i) At quam plurimi adhuc extant anatomici ſcriptores diverſaque eorum ſcripta, quorum nulla apud ipſum occurrit mentio.

An. 1714. Euſtachius

Verum inter ſcripta, quæ Anno 1714 in lucem prodierunt, maxime eminent doctiſſimi quondam Anatomici *Bartholomæi EVSTACHII Tabulæ anatomicæ*, tantopere hactenus a genuinis rerum anatomicarum æſtumatoribus deſideratæ; quas e tenebris vindicavit Vir ampliſſimus *Jo. Mar. LANCISIVS*, easque præfatione ac notis eruditiſſimis exornatas, in manus hominum dedit: k) in quibus, licet iam ſesquiſeculo ab hinc exaratæ atque ſculptæ ſint, attamen multa continent, quæ ab aliis interea pro rebus novis vendita ſunt; alia vero quæ hucusque in nullo libro anatomico tam bene delineata ſunt: quemadmodum vel ſola *vaſorum meſeraicorum* elegantiſſima delinea-

Lanciſius

i) Halæ Magdeburg. 8.

k) Romæ in folio. Conf. Acta Eruditorum Lipſ. An. 1715. p. 329, ubi contenta præcipua in compendio videri poſſunt.

lmeatio unumquemque rerum anatomicarum peritum docere poteſt.

Præterea hoc anno in Italia prædictus *Dominicus ANELLVS* continuationem & Apologiam novæ ſuæ methodi ſanandi fiſtulas lacrymales, publicavit: l) in quibus res variæ anatomicæ occurrunt. Anellus

Hoc etiam anno *Jo. PALFYNVS*, ſæpius iam nominatus, tractatum *Antonii MAITRE-JEAN* de morbis oculorum, ſupra laudatum, ex Gallico in Belgicum ſermonem verſum, imprimi curavit, eumque variis additionibus, ad cataractam præcipue & fiſtulas lachrymales pertinentibus, auxit, atque nonnullas novas figuras, quibus oculi fabricam illuſtrare voluit, adiecit. m) Maitre Jean

Archibaldi quoque *PITCARNII* Pitcarnius

l) Suite de la nouvelle methode de guerir les fiſtules lacrimales, par *Dominique Anel*, a Turin. 4.

m) de Beſondere Heel en Genees-Konſt der oog-ſiegkten, vertaald door I. Palfyn. 4. Leyden 1714. c. fig.

Scoti, opuscula Medica recens & tertium iam prodierunt; n) qua in editione varia continentur, quæ in prioribus duabus desiderantur. Multa vero in iis Anatomica & physiologica, mechanice explicata, reperiuntur.

Vieussens Diligens Anatomicus, *Raymundus VIEVSSENS*, nunc etiam tractatum novum, de *structura auris*, satis amplum, Gallice edidit: in quo multa ab aliis iam scripta, sibi vindicare satagit, & simul varias novas figuras & observationes exhibet. o)

Purcell In Anglia *Jo. PVRCELL* tractatum emisit *de Colica*; in quo vero hoc potissimum habet ad anatomen pertinens, quod digressionem instituerit *ad lienem*; cuius structuram hic describit, variosque eius usus & actiones singulares, a sententia aliorum alienos

n) Roterdami. 4.

o) Traité nouveau de la structure de l' oreille par M. Raymond Vieussens. 4. a Toulouse. 1714.

alienos proponit. p)

Hoc denique anno *Jo. Matthias MVLLERVS* tractatui antea laudato adhuc ſubiunxit obſervationum & curationum Medico-Chirurgicarum decades duas: in quibus rurſus varia anatomica occurrunt. Mullerus

Annum 1715 denuo egregie exornavit *Raymundus VIEVSSENIVS*, & quidem duplici erudito ſcripto rem Anatomicam illuſtrante; quorum primum eſt, tractatus novus *de ſtructura & causis motus naturalis cordis*; alterum, tractatus novus *de liquoribus corporis humani*. In utroque varias novas obſervationes, ſententias & figuras anatomicas exhibet. q) An. 1715. Vieuſſens

Perilluſtris liber Baro, *Jo. Conra* a Brunn

p) a Treatiſe of the cholick, by Iohn. Purcell. London. 8. 1714.

q) Traitè nouveau de la ſtructure & de la cauſe du mouvement naturel du cœur: Traitè nouveau des liqueurs du corps humain. a Toulouſe, 1715. 4. par. M. Raymond Vieuſſens.

dus Brunnerus, *a BRVNN*, Archiater Electoris Palatini antea iam laudatus, tractatum *de glandulis duodeni*, tanquam pancreate secundario, a se primum inventis, longe ampliorem atque perfectiorem edidit, quam olim, eique alias adhuc observationes novas anatomicas addidit: adiecta simul dissertatione *de glandula pituitaria*. r)

Petri ab Hartenfels

Georg. Christoph. PETRI ab Hartenfels Elephantographiam sive descriptionem elephantis publicavit. s)

Vallisnerius

In Italia *Antonii VALLISNERII*, primarii Medicinæ Professoris Patavini, opera diversa, lingua Italica, apparuerunt: t) in quibus, præter scripta varia ad historiam naturalem pertinentia, historiam singularis cuiusdam animalis, *Chamaleontis Africani*

r) Francofurti & Heidelbergæ. 4.

s) Erfurti. 4.

t) Opere diverse del Sig. Antonio *Vallisnieri*: cio e, istoria del camaleonte affricano, e di vari animali d'Italia &c. 4. in venezia. 1715.

cani dicti, dedit: atque ſimul eadem occaſione varia alia examinavit animalia Italiæ, ad illuſtrationem huius facientia: ubi una deſcribit, quid in eis memoria dignum obſervaverit. Præterea *anatomen vituli monſtroſi*, aliorumque *monſtrorum* iisdem in operibus exhibuit, atque ſimul *de ovariis anguillarum* ſcripſit.

Antonius vero *SARACENVS*, Anatomiam corporis humani lingua Italica dedit, verſam, ut ipſe fatetur, ex Anatomia quadam Gallica, ab Anonymo edita: cui tamen annotationes quasdam in fine addidit, ubi multa eorum, quæ a tempore editionis Gallicæ in Anatomia detecta ſunt, recenſet. v) Saracenus

Io. Baptiſta BIANCHI, ſupra iam a me nominatus, Diſſertationem edidit anatomicam, cuius inſcriptionem fecit, *Ductus lachrymales novi*: licet nullos alios, quam qui dudum antea noti erant, in ea deſcripſerit: Bianchi

v) L' Anatomia del Corpo Umano. in Padova. 4. 1715.

pserit: novas tamen in ea horum ductuum figuras dedit. x)

Mistichelli

Dominicus MISTICHELLI, Medicus Italus, vernacula sua hoc anno appendicem edidit ad tractatum suum de *Apoplexia:* in qua inter alia probare satagit, *menynges*, *non cerebrum*, *secretionem spirituum perficere.* y)

Douglas

In Anglia *Iacobus DOVGLAS*, antea iam laudatus, divulgavit *Bibliographiæ anatomicæ specimen*, sive Catalogum omnium pene Auctorum, qui ab *Hippocrate* ad *Harveum* rem anatomicam ex professo vel obiter scriptis illustrarunt: opera singulorum & inventa, iuxta temporum seriem, complectentem. z)

BIDLO-

x) Augustæ Taurinorum. 4.

y) Aggiunta al Trattato dell' Apoplessia, del Dottore Dominico Mistichelli 4. in Padova. Quando vero ipse tractatus, cuius hic appendix est, prodierit, me latet; eum enim videre nondum licuit.

z) Londini. 8.

BIDLOI de *oculis & visu variorum animalium* obſervationes anatomicæ cum figuris quibusdam hoc anno, tanquam opus poſthumum, editæ ſunt. a) Bidloo

Michael Erneſtus ETTMVLLERVS, in Academia Lipſienſi iam Profeſſor Medicinæ ordinarius, epiſtolam problematicam ſcripſit ad virum illuſtrem, *Fridericum RVYSCHIVM de ouario novo*, quod *Nabothum* ſtatuere in orificio uteri interno, antea iam innuimus: in qua rationes adducit eorum, qui illud ſtatuunt, atque admittendum eſſe cenſent, atque ſimul illorum, qui id negant & impugnant, ſententiamque *Ruyſchii* ſuper hac re ſibi expetit: b) quam etiam *Ruyſchius* poſtea in Adverſariis ſuis primis dedit. Etmullerus

In Gallia *Petrus DIONIS* quintam editionem Anatomes ſuæ Gallicæ edidit: quam vero rurſus emendavit & auxit tam rebus, quam figuris Dionis

a) Lugd. Batavor. 4. cum figuris.
b) Amſtelod. 4.

guris novis; maxime vero ampla quadam Dissertatione *de generatione*, c) de qua hodie tot in Gallia lites.

Waltherus

Conradus Ludovicus WALTHERVS, Chirurgus Hallensis in Saxonia, tractatum publicavit Chirurgicum *de spina ventosa*, lingua vernacula: in quo figuris novis, ex anatomica sectione depromtis, illustrat, quomodo teterrimus iste morbus tam misere ossa afficiat atque destruat. d)

An. 1716. Mangetus

Anno 1716 in Helvetia, *Jo. Jacobus MANGETVS*, *Theatrum* suum edidit *Anatomicum*, duobus magnis voluminibus, splendido modo impressum, atque centum & quindecim tabulis æneis amplissimis exornatum: in quo Autor *totam rem Anatomicam*, cum omnibus novis inventis atque emendatione errorum vulgatissimorum anatomicorum, perspicuo modo & methodo optima complecti pollici-

c) Parisiis. 8.
d) Lipsiæ 8.

licitus eſt. e) Quantum vero a ſcopo aberraverit, haud adeo difficulter cognosci poteſt, partim ex eis, quæ in præfatione compendii noſtri anatomici monuimus, partim & maxime ex doctiſſimis Adverſariis Anatomicis, quæ *Morgagnus*, incomparabilis Anatomicus Patavinus, ab eo tempore edidit. Ceterum *Mangetus* in fine Theatri ſui Anatomici etiam figuras anatomicas *Bartholomæi Euſtachii*, antea iam laudatas, cum explicationibus & notis *Lanciſii*, ſicuti hic eas, paullo ante e tenebris vindicatas, Romæ ediderat, adiecit: figuris vero haud raro, ut idem *Morgagnus* ſæpe monet, depravatis.

In Gallia Chirurgus, cui nomen *LOVIS-LEGER DE GOVEY* librum ſermone evulgavit Gallico, quem *Chirurgiam veram* appellat, una, ut titulus indicat, *cum novis, tam in oſteologia, quam myologia, inventis, & novo de Generatione fœtus ſyſtemate*: in quo varias ſingulares & paradoxas Goucy.

e) Genevæ in folio.

doxas opiniones circa generationem profert; quæ vero a Medico Tubingensi, cui *Danielis Hoffmanni* nomen, superiori anno, scripto publico, impugnatæ sunt. f)

Cokburn. In Anglia *Guilielmus COKBVRN* de *Gonorrhæa virulenta* tractatum latino sermone, nescio quo anno, publici iuris fecit, qui vero hoc anno in Belgio recusus est: ubi partes illas describit, in quibus morbus ille suam habet sedem. g)

Hovius. Præterea in Belgio *Jacobus HOVIVS* dissertationem inauguralem, quam Anno 1703 *de circulari humorum motu in oculis conscripserat, in forma tractatus amplioris & auctioris edidit, figurasque plures adiecit.* h) Cui Bibliopola *Thebesii* dissertationem *de* circu-

f) La Chirurgie Veritable, avec des nouvelles decouvertes sur l' Osteologie et sur la Myologie, & un nouveau systeme sur la Generation du fetus. a Rouen. 8.

g) Lugd. Batav. 8.

h) Lugdun. Batav. 8.

circulo ſanguinis in corde, de qua iam antea diximus, adiungi curavit.

A laudato Ge. Frid. *FRANCO* edita eſt *Diapedeſis reſtituta*: i) in qua tranſudationem liquidi urinoſi e ventriculo & inteſtinis in cavum abdominis, & ex hoc in veſicam, ligatis ureteribus, defendit. Ita & pus in Empyicis diapedeſi abſorberi ſtatuit, aliaque ſimilia. Francus.

In Germania hoc anno incepit edere obſervationes anatomicas *Adamus BRENDELIVS*, Profeſſor anatomicus Vitebergenſis, haud adeo pridem ad ſuperos translatus, earumque tunc primam decadem, ſubſequentibus vero annis his adhuc duas alias decades, (quas ego ſaltem vidi) adiunxit: in quibus variæ memoria dignæ occurrunt. k) Brendelius

Eodem anno etiam a me in diſſertatione *de nova methodo curandi fiſtulas lachrymales*, deſcriptio & deli- Auctor.

F nea

i) Hafniæ 4.
k) Vitebergæ. 4.

neatio qualiscunque ductuum lachrymalium data est. l)

An. 1717. Ruyschius

Annum 1717 *RUYSCHII Adversariorum Anatomico-Medico-Chirurgicorum decas prima* rursus illustravit: in qua varia notatu digna de seminis in uterum ingressu, de glandulis cutaneis, de monstris variis, & imprimis etiam Responsio eius ad *Epistolam Ettmulleri de ovario novo*, continentur. m)

Mariotte.

Præterea in Belgio celeberrimi quondam Physici & Mathematici, *MARIOTTI*, opera recusa sunt; n) in quibus potissimum dissertatio huc pertinens *de visu* reperitur: in qua in *verum visus organum inquisivit*, quod tunicam oculi, *Choroideam* dictam, contra receptam eruditorum sententiam, esse, evincere contendit: quam quoque hypothesin *Meryus* in Historia Academiæ Regiæ Scientiarum haud pridem denuo defendendam

l) Altorfi Noricorum. 4.
m) Amstelodami 4.
n) Lugduni Batav. 4.

dam suscepit. Ita & incertum esse iudicavit, *aërem in pulmonibus sanguini misceri*, quod alias plurimi semper crediderunt, & adhuc credunt eruditi multi, aliique.

In Germania *Georgii Theodori BARTHOLDI*, Professoris quondam Giessensis, opera Medica posthuma prodierunt: in quibus etiam *corporis humani descriptio Anatomico-Physiologica*, sed admodum brevis & imperfecta, continetur. o) Bartholdus.

David HERMANNVS imprimi curavit *Tabulas Osteologicas*; in quibus totam *ossium doctrinam* singulari methodo exhibere allaboravit: p) promittens simul reliquarum partium corporis humani descriptionem eadem methodo edendam. Hermannus.

Hoc anno etiam *Valentini TRICHTERI Anatomia equi*, lingua Germanica, duobus voluminibus multisque figuris in lucem prodiit. q) Trichterus

o) impressa Francof. ad Mœnum. 4.
p) Budissæ. 4. q) Norimbergæ. 8.

Bellingerus. In Anglia *BELLINGERVS* Anglice edidit Tractatum, *de fœtu nutrito* inſcriptum: r) in quo præcipue oſtendere conatur, *nutrimentum fœtus in glandula thymi præparari*, atque inde *ad glandulas ſalivales, maxillares* dictas, transmitti, & ex his pro nutrimento fœtus ad os deponi.

Morgagnus. Eundem annum in Italia egregie rurſus exornavit ſæpius iam laudatus *MORGAGNVS*, dum eruditiſſima *Adverſaria ſua Anatomica altera & tertia* eleganti typo & charta auguſta edidit: in quibus, ut antea iam innuimus, quam plurimi errores a *Mangeto* in Theatro Anatomico, ut & ab aliis Anatomicis commiſſi, deteguntur, corriguntur, omiſſa ſupplentur, atque multa aliis non obſervata, proferuntur. s)

Melli. Præterea *Sebaſtiani MELLI*, Profeſſoris Veneti, tractatus *de fiſtula lachrymali* lucem aſpexit: in quo, dum in gratiam, ut ait, auditorum ſuorum

r) Londini. 8.
s) Patavii. 4.

rum, lingua hetrusca, novam *Anelli* methodum has fiſtulas curandi, deſcripſit, novas ſimul figuras *de ductibus lachrymalibus* adiunxit. t)

Porro in Italia *Joſephus Maria VIDUSSI* lingua Italica emiſit libellum, in quo multis rationibus receptam modernorum ſententiam, quaſi omnia *animalia ex ovo generarentur*, deſtruere conatur: ſuſtinens, inſectorum multorum generationem ſponteneam eſſe ſive ex putredine, ſecundum *Ariſtotelis* ſententiam oriri; animalia vero perfectiora ex ſemine, & volatilia ex ovis generari. v) Vidussi.

Denique etiam *meum Compendium Anatomicum* hoc anno primum in conſpectum hominum prodiit; x) in quo *totam rem anatomicam noſtro-* Auctor.

t) delle fiſtole lacrimali di *Sebaſtiano Melli*, Veneto, in Venezia. 8.

v) Motivi di dubitare intorno la generatione de' viventi ſenſitivi, ſecondo la commune opinione de' Moderni. 12. in Venezia. 1717.

x) Altorfii. 4.

rum temporum, emendatis, quantum fieri potuit, aliorum erroribus, suppletisque defectibus, brevissime complectendam studui.

An. 1718. Lancisius.

Anno 1718. *Jo. Mariæ* LANCISII, intimi Cubicularii & Archiatri Pontificii, quem nuper magno rei Medicæ atque litterariæ detrimento defunctum esse, iam antea conquestus sum, *opera*, quæ eousque prodierant, *omnia*, ineditis adhuc quibusdam scriptis, locupletata, impressa sunt; y) in quibus multæ res anatomicæ continentur; præsertim in tractatu de *mortibus subitaneis*, ut alias iam innuimus; deinde in dissertatione, quam *humani corporis synopsin anatomicam* inscripsit: porro in ea, ubi agit *de humorum secretionibus*, ac præcipue *de bilis in hepate separatione*, ac denique in dissertatione de *sede animæ cogitantis*; cui in hac editione figuras quinque elegantes æneas adiecit, quæ antea aliis in editionibus huius dissertationis deficiebant. In

y) Genevæ. 4.

In Gallia ſæpe iam laudatus *Petrus DIONIS* tractatum novum Gallicum publicavit *de arte obſtetricandi*; in quo ab initio *de generatione* agit: ubi non ſolum amplam deſcriptionem exhibet *partium genitalium utriusque ſexus*, verum etiam fœtus in utero atque ſecundinarum anatomen ſiſtit. z) Dionis.

Ibidem etiam hoc anno apparuit diſſertatio *de Generatione & ſuperfœtatione*, lingua Gallica, a Chirurgo, cui *DE LA MOTTE* nomen eſt, conſcripta; in qua autor evincere conatur, *generationem potius ſecundum mentem veterum ex mixtura utriusque ſexus ſeminis*, quam ut plerique hodie opinantur, ex ovo fieri. a) de la Motte

WAGRET, Medicus Gallus, Valentiæ in Belgio *Obſervationes* edidit Wagret.

z) Traitè des Accouchemens, par M. *Dionis*, a Paris. 1718. 8.

a) Diſſertation ſur la Generation & la ſuperfetation, par le Sr. *de la Motte*, a Paris. 8. 1718.

Medicas & Chirurgicas; in quibus præter *Osteologiam* variæ ad anatomen spectantes observationes continentur. b)

Poliniere. *Petrus POLINIERE*, Gallice, divulgavit Experimenta physica, in quibus multa quoque occurrunt experimenta *anatomica*. c)

Klaunigius. In Germania hoc anno prodierunt *Godofredi KLAVNIGII Historiæ Medicæ* in nosocomio Vratislaviensi observatæ: in quibus multæ historiæ & *incisiones ibidem defunctorum corporum* recensentur, quarum nonnullæ etiam figuris illustrantur. d)

Frid. Hoffmannus. Deinde etiam hoc anno *Friderici HOFFMANNI Medicinæ rationalis tomus prior* prodiit: in quo corporis humani functiones ex mechanicis

b) Observations de Medecine & de Chirurgie par Monsieur *Wagret*. a Valenciennes. 8. 1718.

c) Experiences de Physique par M. *Poliniere* 12. Paris 1718.

d) Vratislaviæ 4.

nicis & anatomicis principiis eleganter exponit; insimul hypotheses quasdam singulares in eo fovet, a vulgari sententia alienas; nimirum *venas coronarias cordis sanguinem non abducere*, sed sic, ut arteriæ solent, eum adducere; hoc est, venas has non revehere more aliarum venarum, sed advehere, more arteriarum; deinde *Ovarium novum Nabothi* non solum admittit, verum etiam variis argumentis illud defendit &c. e)

Io. Christophorus SPROEGELIVS Germanice edidit in usum Chirurgorum *anatomiæ epitomen*: in qua, ut ipse indicat, Compendii mei anatomici priorem editionem maxima ex parte secutus est. f) Sprœgelius.

Hannoveræ etiam illo anno vernacula nostra *Vade mecum Anatomico-Chirurgicum* prodiit: cuius Autor sub his literis D. I. W. A. latere voluit Anonymus.

e) Halæ Magdeburgicæ. 4.
f) Hamburgi. 8.

luit: in quo breviſſimis tantum de Anatomia agit. g)

Auctor. Hoc anno etiam ego meam diſſertationem *de Valvula Coli* in publicum emiſi: in qua huius valvulæ veram exiſtentiam atque conſtitutionem contra *Clar. Bianchi* diſſertationem, qua eam impugnare & proſcribere voluit, multis argumentis probavi, figurisque novis ob oculos poſui. h)

Palfyn. Huc etiam referenda ſæpius iam nominati *IO. PALFYNI Anatomia Chirurgica corporis humani*, lingua Belgica in Hollandia ab ipſo edita, i) in qua compendium anatomes exhibet.

Vogli. Neque omittenda *Io. Hyacinthi VOGLI* de *Anthropogenia* diſſertatio anatomico-phyſica, qua *ova viviparorum* refellere conatur, & ex pro-

g) Hannoveræ. 8.
h) Altorf. Noricor. 4.
i) Heelkonſtige Ontleding von's menſchen licham, door Jan Palfyn. 8. Leyden. 1718.

prolongatione ſubſtantiæ uterinæ generationem explicandam eſſe contendit. k)

Annum 1719 anatomicis rurſus illuſtrem reddidit Clariſſ. *MORGAGNVS*: dum tandem deſideratiſſima etiam *ſua Adverſaria Anatomica quarta, quinta & ſexta*, ſive ultima, eodem nitore atque eruditione, uti priora, in manus hominum dedit, atque ſic totum illud opus ad umbilicum deduxit. In ultimis his reliquos a *Mangeto* in theatro anatomico commiſſos errores eadem accuratione atque elegantia, ut in prioribus, emendavit, omiſſa ſupplevit, additis ſimul variis elegantibus figuris novis. Recudi ſimul curavit hac occaſione *Adverſaria ſua prima*, non amplius in officinis librariis proſtantia, quæ non ſolum ipſe denuo recenſuit, ſed et notulis pluribus auxit, ut ſic omnia ſex Adverſaria ſimul una cum indice egregio haberi queant. Continentur etiam in Adverſariis quintis

An. 1719. Morgagnus.

k) Bononiæ, 4. pars. I. & II.

tis *duæ doctissimæ* Lancisii *Dissertationes anatomicæ*, altera de *vena sine pari*; altera *de Gangliis nervorum*, egregiis iconibus illustratæ. Totum vero opus horum sex Adversariorum Anatomicorum *Morgagni* inventis, monitis utilissimis, atque innumeris observationibus raris pariter atque curiosis ita refertum est, ut universa humani corporis Anatome, & subinde etiam res Medica atque Chirurgica egregie iis illustrentur. l)

a Leeuwenhœck.

Curiosissimus & oculatissimus, ut vulgo appellatur, *Antonius a LEEUWENHOECK* hoc quoque anno rursus novas *epistolas Physiologicas* edidit: in quibus variorum animalium atque plantarum fabricam & proprietates novis experimentis, microscopiis maxime institutis, more suo illustravit, incognita varia detexit, figurisque æneis curiosorum oculis exposuit. m)

In

l) impressa Patavii. 4.
m) Delphis. 4.

In Gallia prodierunt *Observationes, ex omnibus Physicæ partibus*, depromtæ, atque extractæ ex optimis scriptis recentioribus; in quibus omnis generis observationes & experimenta ex physica, chemia, *anatomia*, botanica & naturali historia continentur. n) Anonymus

Hermannus Fridericus TEICHMEYERVS, Professor Ienensis, *Elementa Anthropologiæ* hoc anno quoque imprimi curavit: in quibus, præter alia experimenta anatomica, in vitulis *ossiculum auditus*, illudque speciatim inter mallei & incudis iuncturam, a se primum observatum, describit atque delineat. o) Teichmeyerus

Daniel HOFFMANNVS, Tubingensis, *Annotationes* sive Animadversiones edidit ad *Hypotheses Goueyanas* de *generatione fœtus* eiusque partu: in quibus varias singulares Dan. Hoffmannus

n) *Observations sur toutes les parties de la Physique, extraites & recueillies des meilleurs Memoires*, Paris 12. 1719.

o) Jenæ. 4.

res opiniones *Gouei*, dum putat, *ovula non in ovario fœcundari, ſed in coitu aliave titillatione ex ovario ad uterum deferri, ibique demum a viro fœcunda reddi*, & ſimilia, perſtringit. p) His ſubiunxit experimenta multa phyſica, inter quæ varia anatomica occurrunt.

Peierus

Io. Iacobus PEIERVS, *Ioannis Conradi* filius, *obſervationes* cum eruditis communicavit *anatomicas*, tam ex homine, quam ex animalibus omnis generis petitas, in quibus multa curioſa & ab aliis non notata occurrunt. q)

Auctor

Denique etiam hoc anno *Compendii mei anatomici* editio altera, priori longe auctior atque emendatior apparuit: in quo omnia nova inventa, quæ ad meam cognitionem tunc pervenerant, una cum meis obſervationibus recenſui, totamque rem anatomicam brevi ac perſpicua methodo,

p) Francof. ad Moenum. 8.
q) Lugd. Batavor. 8.

thodo, in usum maxime tyronum, exponere allaboravi. r) Præterea & Chirurgia mea, in qua variæ etiam res anatomicæ occurrunt, Germanice prodiit. s)

Neque in præsenti hoc, quo nunc vivimus anno 1720 scriptores anatomici deficiunt: nam *Abrahamus VATERVS*, supra iam laudatus, dissertationem emisit *de novo diverticulo bilis*: in qua circa ingressum ductus cholidochi in duodenum, *novum hocce diverticulum* bilis, quod ibi, dum ductum pancreaticum per cholidochum, ligato orificio ipsorum communi, cera replere voluit, forte fortuna observavit, descripsit: t) consistens in *anfractuosa cavitate intra tunicas duodeni*, *orificium ductus cholidochi circulariter quasi ambiente*; in qua bilem non solum colligi, sed eandem etiam ante infusionem in intestinum duodenum cum succo pancrea- Anno 1720. Vaterus.

r) Altorfi & Noriberg. 8. cum figuris.
s) Noribergæ. 4.
t) Vitebergæ. 4.

creatico exquisite permisceri existimat. Fatetur tamen simul, se hocce diverticulum non in omnibus reperisse cadaveribus; id quod vero ob alias causas, sive culpa aliorum, in experimento hoc satis difficili instituendo, impedimentorum accidisse suspicatur. v)

Dein-

v) Idem etiam *Vaterus*, dum hæc sub prelo sudabant, cum orbe erudito communicavit Programma; in quo, ut titulus habet, *Novum ductum salivalem, eumque præcipuum in lingua excretorium glandulæ insignis ad latera linguæ & sub eadem sitæ, itemque super radicem linguæ, epiglottidem, circa glottidem, super arytænoideas, usque intra oesophagum expansæ, nunc demum iniectione detectæ, luci exponit & demonstrat.* In hoc schediasmate evincere, figuraque illustrare suscipit, foramen illud, in parte superiori & posteriori linguæ humanæ sæpe occurrens, atque a *Collino*, Anglo (Anglice *Collins*) in Anatome sua, a *Morgagno* in Adversariis suis primis anatomicis, atque a me in Compendii mei anatomici editione altera delineatum, *verum esse ductum salivalem excretorium*, glandulosæ illius massæ, quæ circa radicem

Deinde hoc anno *Martinus SCHVRIGIVS*, Physicus Dresdensis, *Spermatologiam*, sive *seminis humani considerationem* publici iuris fecit: in qua, præter seminis naturam & examen, simul partium genitalium viri, scroti, testium, vesicularum seminalium & penis fabricam examinat: maxime vero opus generationis & varia huc pertinentia, raris & selectis observationibus, undiquaque conquisitis, tradit. x) Schurigius

G Ita

cem linguæ partesque ab ipso indicatas, observatur: glandulasque illas simul, iniectione distentas, delineat, unde salivalem laticem in os per hoc foramen, quod ipsi & *Collino* ductus communis salivalis esse videtur, infundi putat. An vero revera res ita se habeat, ulteriori inquisitione pluribusque experimentis opus esse existimo. Idem Vir doctissimus in eodem programmate indicat, *se ductum excretorium in glandula thyroidea* reperisse, per quem totam glandulam flatu distenderit, glandulamque hanc ad salivales quoque pertinere docet. Antequam vero eum publice describat, accuratius ipsum prius examinandum secum constituit.

x) Francofurti ad Mœnum. 4.

Auctor. Ita & Tractatio mea de *Cataracta, Glaucomate* & *Amaurosi*, quæ anno 1713 primum prodierat, hoc anno recusa est: in qua, ut & reliquis meis duobus de eodem argumento scriptis, *Apologia* scilicet & *Vindiciis*, (quarum illa anno 1717, hæ vero anno 1719 prodierunt: y) multæ incisiones oculorum, maxime cataracta & glaucomate laborantium, describuntur, quibus non solum cataractæ & glaucomatis natura; verum etiam variæ res anatomicæ dubiæ & controversiæ circa copiam humoris aquei, eiusque in oculo extensionem, itemque circa verum humoris crystallini situm, huiusque non absolutam ad visum necessitatem, valde illustrantur vel deciduntur, quæ ad morbos hos oculorum & intelligendos & sanandos non parum lucis afferre possunt.

Vallisnerius. Præterea virum celeberrimum, *Antonium VALLISNERIVM*, Patavii

y) Altorfii. 8. ubi omnes hi tres libri impressi sunt.

tavii in tractatu de *generatione* edendo occupatum esse, iam ab aliquo tempore intellexi, quemque propterea etiam nunc a prelo liberatum esse spero.

Ita etiam spes est, *Amphitheatrum anatomicum*, in quo edendo Celeb. *VALENTINI* iam diu occupatus est, quod *dissectiones animalium omnis generis* a variis egregiis Anatomicis peractas, cum figuris quamplurimis continebit, hoc anno in lucem proditurum esse. z) Valentini.

z) Dum hæc prelo subiiciuntur, opus hoc absolutum ad manus meas pervenit, impressum Giessæ, prostatque Francofurti 1720. fol. Cui etiam, ut titulus docet, accedunt *methodus secandi cadavera, cum encheiresibus vasa sanguifera & lymphatica replendi, methodus dealbandi ossa, & manuscripta Anatomica Rauiana*, quæ discipulis suis olim, cum Amstelodami adhuc Anatomen doceret, magno satis pretio describenda dedit: quæ vero valde imperfecta atque indigesta reliquit, ut rerum gnari facile perspicient.

Ita

Muysius. De *MVYSIO*, retulerunt nova litteraria Germanica, eum in novo syste-

Ita & *RVYSCHII Adversariorum Anatomico - Medico - Chirurgicorum* decas II hoc tempore prodiit: in qua elegantissime delineat atque describit *vasa sanguifera in acetabulo coxæ*, ut & ea, quæ *per patellam*, huicque vicinas partes, atque *per cartilagines mobiles* in genu distribuuntur: docetque, lubricam illam materiam, quæ in his iuncturis pro mobilitate ossium reperitur, non ex peculiaribus glandulis, quas cum *Havero mucilaginosas*, vulgo vocant, sed ex mirabili illa vasculorum congerie, quam nuper invenit, & hic indigitavit, provenire atque secerni. Præterea *mirabilem vasorum per sternum*, *costas*, *pleuram* atque *mesenterium* distributionem, ut & *papillas cutaneas*, figuris novis exprimi curavit, aliaque curiosa descripsit. Interea etiam *Christophorus Helvvich*, Medicus Erfurtensis, librum anatomicum, Germanico sermone, evulgavit, cui inscriptionem latinam dedit, *Nosce te ipsum*, vel *Anatomicum vivum*, sive, ut germanice hoc exponit, *breve at accuratum opus anatomicum*, *in quo integra anatome, una cum ipsius divisione perspicue traditur*, omni-

ſyſtemate *de mechanica musculorum ſtructura* occupatum eſſe; in quo ipſum multa daturum eſſe nova, quæ ope microscopiorum & iniectionum circa musculorum fabricam detexerit, nunciant.

Denique etiam a *Clariſſ. MORGAGNIO*, mihi relatum eſt, Ampl. *Lanciſii* Tractatum *de motu cordis & anevrysmatibus*, tamdiu ab eruditis deſideratum, & in quo concinnando doctiſſimus Autor multum deſudavit, a Clariſſ. *Aſſalto*, cui *Lanciſius* hanc curam commiſit, Romæ brevi editum iri; in quo omnes, quibus ingenium & iudicium Autoris non inco- Lanciſius.

omnibus lectu utile atque iucundum &c. Tabulæ æneæ adiectæ ſunt quatuor, ad modum Catoptri microcosmici *Ioannis Remmelini*: unde etiam figuræ pleræque deſumtæ, at inverſo ſubinde modo repræſentatæ: quaſi verbi gratia hepar ſiniſtram, lien vero dextram abdominis partem occupet, ut in venæ portæ delineatione & alibi videre licet. Impreſſum eſt Francofurti & Lipſiæ, in fol. 1720.

incognitum eſt, multa nova eaque eruditiſſima exſpectant.

Neque ſilentio hic prætermittenda *HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARVM PARISIENSIS*: quæ per totum hoc ſeculum usque ad annum 1717, quantum mihi conſtat, ſingulis annis Actorum ſuorum volumen emiſit: in quibus fere omnibus obſervationes novæ anatomicæ notatu digniſſimæ continentur. a)

Hiſtoria Academ. Paris.

Ita & *REGIA SOCIETAS ANGLICANA* hoc ſeculo quandoque Acta quædam, quamvis non adeo multa, *Tranſactionum* nomine evulgavit: in quibus etiam variæ obſervationes anatomicæ occurrunt. b)

Societas Regia Anglicana.

Ab anno quoque 1712 *SOCIETAS NATVRÆ CVRIOSORVM* in Germania incepit rurſus novas edere *Ephemerides*: atque ab illo

Ephemerides Germanorum.

a) Pariſiis in 4. quæ vero Amſtelodami recuduntur in forma 12.

b) Londini 4.

illo tempore octo iam edidit centurias obſervationum, cum prolixis ſæpe appendicibus, quatuor tomis comprehenſas: in quibus omnis generis obſervationes anatomicæ, imo integræ etiam diſſertationes argumenti anatomici occurrunt. c)

Præterea ante aliquot annos inceperunt edere *ACTA MEDICORUM BEROLINENSIUM*, eorumque iam ſex ediderunt volumina, in quibus, præter alias res medicas utiliſſimas, etiam variæ *obſervationes anatomicæ*, ex cadaverum morboſorum inciſionibus maxima ex parte deſumtæ, recenſentur. d) Acta Medicorum Berolinenſium.

In *Exercitationum Francofurtenſium* tomo primo continetur obſervatio *GOELICKII* de *ovo muliebri maturo in ovario dextro infanticidæ* reperto; e) quod vero, an verum ovulum impregnatum fuerit, mihi nondum Exercitationes Francofurtenſes.

c) Norimbergæ. 4.
d) Berolini. 8. Ab eo tempore iam ſeptimum volumen apparuit.
e) Francofurti ad Viadr. 8.

adeo planum aut perſpicuum eſſe videtur.

Read. Sunt etiam nonnulli ſcriptores, qui ſine anno impreſſionis indicato apparuerunt, & tamen hoc ſeculo prodiiſſe videntur. Exempli loco adducam *Guilielmi READ*, Ocularii Angli, Tractatum *de morbis oculorum*, Anglice conſcriptum: in quo annus impreſſionis quidem non additus eſt, liber tamen novus videtur, atque etiam oculi deſcriptio anatomica in eo continetur. f)

Cowperus. Denique etiam hoc ſeculo exercitatiſſimus quondam anatomicus Anglus, *Guiliel. COWPERVS*, magnas elegantiſſimasque tabulas æneas pro *nova atque exactiſſima myographia*, magna cura exaravit, qui vero morte præventus eas edere non potuit. Coram tamen illuſtris *Sloane* iam ante decennium, cum ipſum Londini ſalutarem,

e) A Schort but exact Account of all the diſeaſes incident to the Eyes, *by William Read*, Her Majeſtys Oculiſt. 8. London, The ſecond Edition, corrected.

lutarem, me certiorem fecit, se eas possidere, una cum autographo autoris ad prelum parato, easque se brevi editurum esse: quod tamen hactenus, magno rei anatomicæ detrimento intermissum est.

Taceo iam *Dissertationes academicas argumenti anatomici* quamplurimas, quæ in Belgii & Germaniæ Academiis prodierunt, quia earum tot & tam multæ sunt, ut longiorem, quam nunc de scriptoribus reliquis anatomicis dixi, requirerent orationem, si eas omnes recensere vellem. Aliquot tamen, præter paucas iam hinc inde indicatas, silentio prorsus præterire nequeo: nimirum eam primo, quæ Lugduni Batavorum An. 1706 sub Præsidio *BIDLOI* de *organo chylifero* edita est a *Petro E. vertze*, annoque 1708 recusa: in qua nova ductus thoracici, sicuti illo anno a *Bidloo* in cadavere feminino, laqueo necato, repertus fuerat, delineatio atque descriptio sistitur.

Bidloo & Verheyen.

Ibidem *Evertze* Anno 1708 pro gradu Doctoris dissertationem evulgavit *de glandula thyroidea*, in qua non solum tres figuras novas de hac glandula dedit, verum eam etiam pro parte primaria in angina affecta habendam esse contendit.

Eodem loco, anno 1706 sub eiusdem *Bidloi* præsidio edidit Exercitationem anatomicam de *Thymo* Guiliel. Henr. *Mullerus*, Sylva-Duco-Brabantus, in qua ex *Verheyeni* Anatomia caput de *thymo* acriter perstringitur. Cui vero illo ipso adhuc anno *Verheyenus* responsionem opposuit, Lovanii impressam.

Contra hanc responsionem anno sequenti prædictus *Mullerus* Lugduni Batav. schediasma propalavit perquam acerbum, cuius titulus est, *W. H. Mulleri* Defensio Exercitationis suæ anatomicæ *de Thymo*, qua Clar. Verheyeni *in litteris ruditas*, in *physicis ignorantia*, *in anatomicis imperitia &c. demonstrantur*.

Huic

Huic Defensioni Lovanii mox duo scripta opposita sunt, quorum alterum inscribitur *Anatomia defensionis, quam pro sua exercitatione de Thymo contra Responsionem Clarissimi Verheyeni edidit Celeb.* Bidloo; alterum vero *Puerilitas & barbaries libelli Bidloiani, demonstrata, per* I. G. *Kerkberdere*, in quibus *Bidlous* acerbissime traductus est. At, quod maxime dolendum, ex tota hac tam acri controversia, nihil emolumenti in rem anatomicam redundavit, nihilque melius, quam quod antea de *thymo* scivimus, repertum aut detectum est.

Anno 1707 Io. Ant. *Dern* sub præsidio *Friderici HOFFMANNI* Halæ edidit Dissertationem, *qua Anatomes* in *praxi Medica usum* tuetur. Hoffmannus.

Lipsiæ vero Iac. Herm. *Albrecht*, Præside Polyc. Gottlieb. *SCHACHERO*, Professore Lipsiensi, dissertationem publicavit de *Anatomica præcipuarum partium administratione:* in qua, præter alias administrationes Schacherus

tiones egregias, ſingularis nova machina deſcribitur, aerique inciſa exhibetur, cuius ope, antlia pneumatica concurrente, vaſa alicuius viſceris cera aut argento vivo apte repleri poſſunt.

Saltzmannus. Porro Diſſertatio a *Saltzmanno* Argentorati An. 1711 edita eſt, in qua *ductum thoracicum* ex homine delineavit, atque encheiriſin deſcripſit, in quovis cadavere ductum thoracicum inveniendi. Deinde ea, quæ *de Meſenterio* ibidem ſub præſidio *Henningeri* 1714 prodiit: in qua quoque *nova delineatio huius ductus*, quae poſtea hinc in Ephemerides Natur. curioſorum translata eſt, continetur.

Henningerus.

Wedelius. *Io. Adolph. WEDELIVS*, in programmate *de valvula venæ ſubclaviæ ductui thoracico impoſita*, anno 1714 Jenæ impreſſo, contra vulgarem opinionem demonſtrandum ſibi ſumſit, *valvulam hanc non inſervire ductui thoracico*, ad ſanguinis ingreſſum ex vena ſubclavia in hunc ductum

ctum impediendum, atque argumentis & experientia docet, hanc valvulam ad hunc usum factam non esse, neque ad hoc impediendum aptam natam esse; verum eam tantum cum valvula vicina opposita concurrere ad idem, quod valvulæ venarum alibi & per totum corpus præstant, agendum: nimirum, ut in auriculæ cordis contractione coniunctim claudant venæ subclaviæ cavitatem, & impediant, ne sanguis per hanc viam retrocedat ad brachium. Ostendit vero simul, propter valvulas ipsius ductus thoracici eiusque contenta, sanguinem in hunc ductum ingredi non posse; adeoque *hanc valvulam eiusque usum male hucusque consideratum fuisse*, demonstrat.

Slevogtius quoque dissertationem Jenæ 1715 edidit, qua *processus medullares cerebri multas ob rationes ex nervorum numero proscribendos esse vult.* Porro Hafniæ anno 1717 sub *Franci de Frankenau* præsidio *Eduard. Pe-* Slevogtius. Francus.

Petrus Wium publicavit dissertationem *de via alimentorum & chyli*, in qua novam & mirabilem *ductus thoracici ex homine* delineationem sistit, quæ digna habita est, ut collectores Actorum Lipsiensium eam suis Actis insererent.

Rivinus. Eodem anno Lipsiæ *Jo. Aug. RIVINVS*, sub præsidio *Augusti Quirini Rivini* Patris, dissertationem inauguralem defendit, *de auditus vitiis*; in qua foramen tympani, quod Pater aliique nonnulli in membrana tympani adesse statuunt, & vulgo *hiatum Rivini* appellant, figuris indicatur atque illustratur.

Hilscherus. *Simon Paulus HILSCHERVS* observationes & meditationes medicas Jenæ an. 1719 circa *opus generationis in fœminis* edidit: in quibus eos, qui *ovula mulierum non in ovario*, sed in uterum iam delapsa, demum imprægnari existimant, impugnat. Deinde eorum sententiam, qui *ovarium in orificio uteri novum* statuunt, confutat; ac denique illos, qui *tunicam allan-*

lantoidem in fœtu humano adesse contendunt, refellit.

Eodem etiam anno *Io. Andreas SCHMIDIVS*, extraordinarius iam in Academia hac nostra Professor, dissertationem epistolicam Lugduni Batavorum conscripsit, de *periostio ossiculorum auditus eiusque vasculis*, quæ figuris etiam adiectis illustravit, & simul processus *Raviani* in malleo delineationem exhibuit. Schmidius.

Denique scriptis his adhuc adiungimus *Abrahami VATERI* programma, quod anno superiori orationi inaugurali, *de Anatomico acerbius castigato*, præmisit: in quo *de mechanismo, quo natura utitur in obturando foramine ovali, & ductu arteriosо, coniecturas suas, occasione observationis anatomicæ perquam curiosæ, exponit*, figurisque elegantibus sententiam suam uberius declarat. Vaterus.

Ceterum, etiamsi forte non omnes scriptores anatomicos, aut etiam non omnia eorum scripta Vobis

iam

iam indicaverim, Auditores præſtantiſſimi, nam quis eſt, cui omnia, omnibus in mundi regionibus prodeuntia, nota eſſe poſſunt? ſuſpicor tamen, me tot vobis iam indicaſſe atque enarraſſe, qui intra hos viginti ſeculi huius annos prodierunt, ut pauci forte veſtrum tantum numerum tantamve copiam exſpectaverint; credoque, me iis recenſendis Vos iam diutius, quam par eſt, detinuiſſe, & præſertim eos, qui ſuaviſſima hiſtoria litteraria minus delectantur.

Sed unicum modo membrum Orationis meæ nunc abſolvi; progrediendum iam eſſet, ut etiam Vobis ipſa *nova inventa, obſervationes præſtantiſſimas, emendationes, & quæcunque ad incrementum nobiliſſimæ generique humano utiliſſimæ artis anatomicæ hoc ſeculo præſtita ſunt*, ordine recenſeam. At, cum temporis brevitate, quod huic ſolenni actui deſtinatum eſt, nunc excludar, & hora prandii iam audita ſit, animumque veſtrum iam in patinis eſſe conſpiciam,

ciam, diutius vos iam remorari nolo, ſed filum orationis meæ abrumpam, reliquumque alii occaſioni reſervabo.

Interim tamen, antequam vos dimittam, Auditores ſuaviſſimi, mei adhuc eſt officii, ut præ omnibus *DEI IMMORTALIS* venerer providentiam atque directionem, qua me ex Academia Altorfina, cuius commodis per decennium fere invigilavi, huc in celebrem inclutamque hanc *ACADEMIAM IVLIAM*, tanquam terram mihi hucusque incognitam, ducere, feliciterque cum meis transferre voluit. Gratias ipſi pro hoc beneficio ago habeoque, quas animo concipere poſſum, maximas, ſupplexque rogo, ut *SVPREMVM ILLVD NVMEN* meis laboribus & hic inpoſterum, ſicut hactenus clementiſſime fecit, benedicat, ut cedant in ſanctiſſimi Nominis ſui Gloriam, in honorem & incrementum huius Academiæ, in multorum hominum ſalutem, atque in totius rei litterariæ ac Medicæ utilitatem ampliſſimam.

POTENTISSIMIS vero iam atq; *SERENISSIMIS almæ huius Academiæ NVTRITORIBVS, DOMINIS meis longe CLEMENTISSIMIS*, & præsertim *AVGVSTISSIMO* nunc *MAGNÆ BRITANNIÆ REGI GEORGIO I*, celeberrimæ Juliæ nostræ iam *SVPREMO MAGNIFICENTISSIMOQVE DIRECTORI*, humillimas, tantasque, quas mens concipere valet, persolvo gratias, quod me dignum iudicaverint, ad *Medicinam* in IPSORVM illustri Academia & speciatim ad *Anatomen*, *Chirurgiam* atque *Physiologiam*, post tot celeberrimos viros, qui hoc munus ante me tanta cum laude & gloria hic gesserunt, publice docendam, meque propterea ex Academia Altorfina in hanc almam Musarum sedem, cum laudabili stipendio, atque aliis haud vulgaris clementiæ signis, gratiosissime evocaverint. Profecto pro tanta *Clementia* atque *favore* nihil melius ipsis reddere possum, quam ut *DEVM* T. O. M. pro totius *AVGVSTAE DOMVS BRVNSVICO-LVNEBVRGENSIS* incolumitate, gloria, atque incre-

cremento ardentibus defatigem precibus, eumque ſupplex exorem, ut totam *SERENISSIMAM DOMVM*, & ſpeciatim hodiernos *AVGVSTOS NVTRITORES*, *PRINCIPES* noſtros longe *CLEMENTISSIMOS*, orbique vere a *DEO* datos, non ſolum pro bono huius Academiæ ipſorumque regionum & ſubditorum, ſed pro totius orbis terrarum, maxime vero Europæ tranquillitate, utilitate & flore quam diutiſſime conſervet.

Ad Vos vero etiam me nunc converto, *Magnifice Academiæ Prorector, Patresque Academiæ conſcripti*, fautores atque amici maximopere colendi, quod me peregrinum, & antea ne de facie quidem cognitum, non ſolum in Collegium Veſtrum lubentes recipere, ſed etiam nunc tam diu ſermoni meo benevolas aures præbere volueritis. *DEVS vos* diu adhuc ſervet incolumes, pro utilitate atque incremento huius Academiæ & totius rei litterariæ; *DEVS vos* mihi ſervet amicos. Ego vero me

ſemper ita erga vos gerere ſtudebo, ut nullus iure de me conqueri poſſit, meque hic ſatis felicem prædicabo, ſi, licet ingenio & gloria *Vos* aſſequi non valeam, teſtis tamen & admirator ſaltem eſſe poſſim veſtrarum virtutum atque meritorum.

Poſtremo, antequam ſermonem hunc finiam, Vos adhuc alloquor, *Commilitones Cariſſimi*, & quidem vos potiſſimum, qui *Arti Apollineæ, nobiliſſimæ Medicinæ, vos conſecraſtis*: dum veſtrum præſertim in commodum hic ſum vocatus atque conſtitutus, nihil antiquius aut glorioſius habebo, nihilque maiori cura agam, quam ut vobis mea qualicunque opera & induſtria inſerviam, veſtraque ſtudia, quantum in me eſt, promoveam. Omnem navabo operam, ut optimis Scientiæ Medicæ præceptis vos gnaviter imbuam, nihilque, quod mei eſt officii, & vobis utile eſſe poteſt, intermittam, ſi modo mea officia vobis grata eſſe intellexero. Et licet, ut lubens fateor, reliquos honoratis-

ſimos

ſimos Collegas meos eruditione aliisque ingenii dotibus aſſequi non valeam, hoc tamen Vobis promittam, me nulli ſedulitate & fidelitate ceſſurum eſſe unquam.

Ceterum, quia auſpicato fauſtoque omine accidit, ut hodie hic *Cadaver femininum*, violenta morte peremptum, pro *anatomia publica* adventurum ſit; hinc Vos omnes, Auditores optimi, ea, qua par eſt, humanitate atque obſervantia publice hic invito, rogoque, ut frequenti confluxu primis meis in hac Academia ſectionibus & demonſtrationibus anatomicis cras & ſequentibus diebus frequentes intereſſe, Numinisque ſupremi ſapientiam & potentiam & ſimul Vosmet ipſos ex corporis humani mirabili fabrica agnoscere admirarique velitis.

D. LAVRENTII HEISTERI
ANATOM. CHIRVRG. AC PHYSIOLOG. PROF.
ACAD. CAESAREAE CVRIOSORVM REGIAEQVE
BEROLINENSIS COLLEGAE

PROGRAMMA DE INVENTIS ANATOMICIS HVIVS SECVLI

QVO INITIVM PRÆLECTIONVM SVARVM PVBLICARVM AEQVE AC PRIVATARVM IPSIS CALENDIS IVLII ANNI MDCCXX. *INCHOANDARVM* PHILIATRIS INDICAT.

POſtquam per decennium hactenus in celeberrima Academia Altorfina Medicinam, & ſpeciatim Anatomen atque Chirurgiam, omni qua potui fide & induſtria docui, non niſi DEI IMMORTALIS, ſortis reliquarumque rerum humanarum ſupremi arbitri, nutu atque auſpiciis factum

factum esse, opinor, quod POTENTISSIMI SERENISSIMIQVE PRINCIPES AC NVTRITORES Academiæ huius Helmstadiensis *Clementissimi atque Munificentissimi* me, e prisca mea sede, in hanc illustrem Musarum sedem, laudabili stipendio, aliisque insignis clementiæ ac favoris indiciis, gratiosissime evocaverint, atque munus Anatomen, Chirurgiam & Physiologiam publice locoque ordinario docendi, clementissime mihi demandaverint. Quapropter, cum, consueta solenni oratione auspicandi caussa nuper præmissa, iam munus illud mihi exordiendum sit, omnis nunc mea cura est, ut sub auspiciis DIVINI NVMINIS felix faustumque laborum prælectionumque mearum fiat initium.

Quoniam vero Anatomica scientia, testibus viris in arte Medica gravissimis, ipsaque ratione adstipulante, fundamentum est primarium, non modo Medicinæ in universum, verum speciatim earum Medicinæ partium, quæ mihi docendæ com-

missæ sunt, nimirum Chirurgiæ atque Physiologiæ: idcirco ab initio præ ceteris operam dabo, ut Anatomen, partem in genuina Medicina atque Chirurgia facienda exercendaque adeo necessariam, iis, qui meæ informationi se hic tradituri sunt, optima maximeque perspicua methodo tradam, eaque ratione certa ac solida Medicinæ fundamenta ponam, animisque eorum infigam, quibus reliquum Medicinæ ædificium recte feliciterque superstruere atque imponere possint.

Verum enim vero, quoniam ars Anatomica ita est comparata, ut a pauco tempore multum vehementerque increverit, & quotidie adhuc ampla capiat incrementa, semperque in ea adhuc aliquid inveniendum, addendum atque emendandum sit, & iis, qui ad perfectam Anatomes scientiam acquirendam aspirant, necessum sit nosse, quænam & qualia incrementa hactenus facta sint, ut ea sciat, cognoscatque quæ iam detecta & cognita sunt, atque hoc partim

tim ex bonis ſcriptoribus ſive libris, partim exercitio uſuque addiſcendum ſit; quapropter, quia nuper in oratione mea inaugurali, ſi forte non omnes, plerosque tamen certe ſcriptores Anatomicos, qui hoc in ſeculo vel recens inclaruerunt, vel auctiores emendatioresque prodierunt, recenſui, ita iam hac in lectionum mearum proluſione, *pleraque, ſi non omnia, inventa atque incrementa anatomica, quæ hoc in ſeculo facta, & quæ nondum in oratione indicata ſunt, paucis exhibere tentabo*, ut ſic inde conſpici poſſit, anteceſſores in hac arte non omnia noſtro ſeculo præripuiſſe, ſed varia imo multa adhuc invenienda detegendaque ſuperfuiſſe & adhuc hodie diligentibus corporis humani ſcrutatoribus ſupereſſe.

Vt vero ordinem quodammodo ſervem dicendorum, annorum rurſus ſeriem aliquo modo, ſicuti fere in oratione feci, ſum obſervaturus, qua inventa atque incrementa publice innotuerunt: quem tamen hic ordinem ob affinitatem ar-

gumenti, auctorem eundem, aliasve ob rationes interrumpere quandoque non verebor. Primum igitur locum eumque iure ac merito hic rurſus tribuo illuſtri *RUYSCHIO* meo, qui in *Epiſtolis*, *Theſauris* atque *Adverſariis* ſuis Anatomicis tam multa nova inventa, mirabilibus ſuis iniectionibus ceraceis maxima ex parte detectis, deſcripſit & delineavit, ut certe ex hoc uno, ſi modo indicem rerum detectarum exhibere vellem, tantam copiam recenſere poſſem, quæ facile aliquot folia expletura eſſet. Sed nonnulla tantum hic indicaſſe ſufficiat, cum ſcripta ipſius, ut & mirabile eius præparandi artificium, partiumque intimiorum ſcrutandi ſolertia atque felicitas neminem hodie, niſi in hiſtoria litteraria ac præſertim anatomica hoſpites, fugere poſſint. *Vaſa itaque pleuræ*, *linguæ*, *membranarum cerebri*, *cordis*, *placentæ uterinæ*, *oculorum*, *omenti*, *ventriculi*, *inteſtinorum hepatis*, *lienis*, *renum*, *naſi interni* aliarumque partium, hic in ſuis obſerva-

Inventa Ruyſchii.

tio-

tionibus, epiſtolis & theſauris vel antea prorſus ignota patefecit, vel tamen longe melius delineavit & deſcripſit, quam alii ante ipſum: unde de ſtructura, actione, uſu & morbis harum partium prudentioribus longe clarior oritur idea atque cognitio. *Structuram oculi, mammæ & penis ex balæna*, animali maximo, primus quantum novi, & deſcripſit & delineavit: eoque ipſo has corporis noſtri partes eregie illuſtravit. Quis unquam accuratius *ortum hominis* ex minimo principio per diverſos accretionis & incrementi gradus figuris nobis exhibuit & deſcripſit, fœtusque minimi mirabiles in utero metamorphoſes elegantius ob oculos poſuit, quam *Ruyſchius* hic noſter in Theſauro ſuo ſexto id præſtitit? ubi profecto ſumme mirabilia occurrunt. Ita & hic duplici exemplo (raro alias experimento) ex mulieribus, in coitu occiſis, comprobavit, *ſemen virile*, non ſolam vaginam, non ſolum uterum, ut multi ſuſtinent, ſed *ipſas tubas Fallopianas* fervente venere ingredi, atque

que ſic etiam ex his facile ad ovaria mulierum pervenire poſſe, pro ovulis ipſorum fœcundandis. *Ligamentum patellæ* nunquam antea tam bene fuit exhibitum, quam ab hoc in theſauro ſuo ſeptimo; ſicut & *poroſa inteſtinorum ſubſtantia* (ut multa alia taceam) qua & chyli ingreſſus ex his in vaſa, & ſecretiones in inteſtinis contingentes illuſtrantur, nusquam melius repræſentata atq; indicata eſt.

Cypriani. Primo præterea anno huius ſeculi *Abrahamus CYPRIANVS*, quomodo *fœtum, in tuba Fallopii* per XXI menſes detentum, detexerit, matreq; vivente & ſuperſtite extraxerit, deſcripſit: qua obſervatione eorum ſententia, qui, fœtum in ovario habere ſuum initium, ſicut in oviparis, & per tubam Fallopianam ad uterum deſcendere ſtatuunt, egregie comprobatur, contrariumque vero ſentientium opinio refellitur.

Ammanni Ita & in ſeculi huius principio *AMMANNVS* in diſſertatione ſua de loquela, *inſtrumenta loquelæ*, eorum-

rumque functiones & usus longe accuratius investigavit atque exposuit, quam antea unquam ab aliis factum est. Hunc deinde post aliquot annos in Gallia secutus est *DODARTIVS*, qui in historia Academiæ Regiæ scientiarum de formatione vocis, & laryngis atque asperæ arteriæ in loquela formanda actione, itemque de similitudine sive analogia harum partium cum organo pneumatico perquam eleganter disseruit. Dodartii

Porro *MERYVS* descriptione anatomica loci & partium, ubi celebris quidam in Gallia Monachus & lithotomus, quem Galli *Frere Jacques* appellarunt, itemque dissectione cadaverum a Monacho hoc interfectorum, docuit meliorem methodum secandi calculum; sic, ut sine læsione musculorum penis, urethræ & vasorum maiorum, verbo, securius & levioribus symptomatibus e vesica ille excidi queat. Invenit simul *Meryus peculiarem fabricam & mirabilem circulum sanguinis in corde testu-* Meryus.

testudinis, in qua hic circulus alio eoque inverso modo per cor contingit, quam in homine; & sicuti in hoc ceterisque plurimis animalibus sanguis ex dextra cordis parte ad sinistrã transit, ita ex adverso in hoc animali ex sinistra ad dextram, eum mirabili modo moveri demonstravit: id quod multis curiosorum meditationibus atque disquisitionibus ansam præbuit, structuramque singularem hanc cordis in testudine non solum terrestri vulgari, sed & magna Americana, imo marina etiam patefecit. Verum applicatio huius fabricæ & circuli peculiaris sanguinis ad fœtum humanum, quem *Meryus* inde evincere annisus est, apud paucos hactenus applausum invenit. Ceterum etiam *glandulas in duræ matris sinu longitudinali*, quas aliquot annis post *Pacchionus* peculiari dissertatione prolixius descripsit atque delineavit, primus in Historia Academiæ Regiæ Parisinæ indicavit, ibidemque etiam experimentis ostendere voluit, *urinam potus non per vasa lactea & sanguinis*

guinis viam ordinariam ad renes atque vesicam pervenire; verum eam per ventriculi & inteſtinorum tunicas in abdomen tranſudare, depluere in huius pelvim, & per inſenſibilia veſicæ foramina, foras introſpectantia, veſicam intrare: quam quoque ſententiam poſtea *Francus de Frankenau* in *diapedeſi* ſua *reſtituta* amplexus uberiusque exponere anniſus eſt. In *iride oculi* glandulas pro humoris aquei ſecretione ſe obſervaſſe ſcribit: quas tamen neque alii egregii anatomici, neque ego unquam videre aut obſervare potuimus.

TAVVRYVS in tractatu de fœtus generatione, inter alia accuratam tradit *deſcriptionem partium genitalium ex teſtudine femina*: quæ, licet ova pariat, partes tamen habet genitales, partibus genitalibus canis vel felis non abſimiles: unde magnum argumentum petit pro generatione ex ovo, quam varii haud pridem, præſertim in Gallia, negare & impugnare ſibi ſumſerunt. Eleganter præterea explicat ovuli fœcundati egres- Tauvry.

ſum

ſum ex ovario, caſumque fœtus extra uterum in abdomine geniti, non utero, ſed aliis ventris partibus alligati, aliasque obſervationes curioſas quamplurimas recenſet.

Rauii. *RAVIVS duplicaturam ſepti ſcroti* & quomodo *ſcrotum in duos diſtinctos quaſi ſacculos dividi queat*, primus demonſtravit atque delineavit, qui & *novam mallei apophyſin* in organo auditus invenit.

Tyſon. *Eduardus TYSON* elegantiſſimas *pygmæi* delineationes & deſcriptiones anatomicas dedit, præſertim vero muſculorum, oſſium, viſcerum abdominis, partium genitalium, pulmonis, cordis, & cerebri huius animalis icones elegantiſſimas exhibuit.

Buſſiere *BVISSIERIVS* triplicem in homine vidit veſicam, quæ in Actis Anglicanis & inde in Actis quoque Eruditorum Lipſienſibus delineata eſt.

Musgrave *Guilielmus MVSGRAVE* experimenta nova, iisdem in Actis Anglicanis deſcripſit, quomodo liquor cœ-

ru-

ruleus ad vasa lactea transmitti possit. (a)

COVVPERVS novas *glandulas urethræ* invenit, quæ pro ea lubricanda maxime inserviunt, & in quibus gonorrhoea sæpe sedem suam figit. Idem modum descripsit in Actis Anglicanis, Anno 1702, *quo sanguis ex arteriis in venas moveri per microscopia*, in quadrupedibus vivis, visus fuerit; & quod cera ex arteria pulmonali in venam pulmonalem, ex arteria lienari in venam huius nominis, & ex arteria penis in venas eius impelli possit. Vnde constare concludit, extrema horum vasorum ampliora esse, quam in aliis plerisque partibus, ubi hæc tam facile non contingunt; ex quibus varia, quæ actionem & usum harum partium illustrant, depromi possunt. Ab eodem Anatome exhibetur earum *Marsupialis Americani* maris (animalis cuiusdam) partium, quæ a fe- Couperi.

(a) videri quoque hæc possunt in Actis Erud. Lips. An. 1703. p. 132.

minæ partibus discrepant. Conf. Act. Erud. Anno 1704, p. 21, & Anno 1705, p. 110. Eiusdem *pulmonis ranæ* microscopio inspecti examen in Actis Anglicanis A. 1703 sistitur: (videantur Act. Eruditor. Lipsiens. An. 1705, p. 211.) ubi & *RIDLEYVS* experimentum Anatomicum proponit, *ad veram duræ matris motus caussam detegendam*, (vid. Act. Erud. An. 1705, p. 215.) quam non duræ matris, sicuti nonnulli Itali voluerunt, vi contractili, sed pulsui tantum arteriarum adscribit.

Ridley.

Bartholini. *BARTHOLINVS* in specimine *historiæ Anatomicæ* varias exhibet observationes & figuras novas Anatomicas; & inter has nominatim de modo agit singulari, quo peritonæum viscera abdominis ambit: præterea de *ductu salivali glandulæ sublingualis*, (cuius inventionem plerique quidem huic *Bartholino*, multi vero haud inique *Rivino* Lipsiensi tribuunt,) quem ante eum nemo delineavit; de nervis oculorum ad musculum

lum uveæ euntibus, de olfactus organo, diaphragmatis ſtructura, muſculis vertebralibus, oſſiumque ex tendinibus muſculorum compoſitione.

PALFINVS in *Oſteologia* ſua non ſolum varias obſervationes curioſas circa oſſium generationem, nutritionem, fabricam &c. ſiſtit; verum etiam novas atque elegantes quorundam oſſium delineationes, præſertim *ſinuum illorum in oſſibus capitis*, ubi mucus ſecernitur & coacervatur, exhibuit. Quæ vero in Hiſtoria duorum infantum monſtroſorum præſtitit, in oratione iam indicavi. Palfini.

BAGLIVIVS fibrarum ſtructuram, in tractatu *de fibra motrice*, eleganter expoſuit, easque maceratione in certis liquoribus & microſcopii inſpectione ex fibris innumeris aliis in faſciculum collectis componi obſervavit. Exhibuit quoque *anatomen cordis teſtudinis*, *Tarantulæ*, aliaque iam in oratione indicata. Baglivii.

Pacchioni. *PACCHIONVS* duræ matris musculosam fabricam nova eaque eleganti figura illustravit, ipsique admirandas vires in secretione & motu spirituum sive liquidi nervosi, motu cordis aliisque actionibus, tam in statu naturali quam præternaturali adscribit. Idem etiam *glandulas duræ matris*, præsertim eas, quæ in sinu longitudinali observantur, primus, licet non invenisse, ut nonnulli putant, tamen delineasse videtur.

Hovii. *HOVIVS de circulari humorum in oculo motu* accuratius differit, quam alii, variaque ab aliis circa oculos bestiarum quarundam neglecta, præsertim reticula vasculosa nova circa oculos earum occurrentia, (quæ tamen in homine, quem minus examinavit, aliter se habent) venarumque per oculos distributiones & describit & delineat.

I.M. Hoffmanni. Quænam *Joh. Mauricius HOFFMANNVS*, Collega quondam noster Altorfii amicissimus, nova singularia in Anatome observavit, aut dubia

dubia & controversa sua experientia atque observationibus illustravit, Auctores Actorum Lipsiensium in recensione ipsius *Ideæ machinæ corporis humani* egregie indicarunt, ubi præcipua Anno 1707, p. 63, legi possunt.

SCHELHAMMERVS in Analectis suis, inter varias alias observationes, quas tradidit, ex primis fuit, qui cognovit, *non omnes secretiones humorum per glandulas fieri*, divisionemque glandularum in *conglobatas* & *conglomeratas* ineptam esse ostendit. Arterias & venas ex quatuor distinctis tunicis constare negat, contra *Willisium* & *Verheyen*: Ossibus *sensum* vindicat, sed obtusum; connexionem ossis sacri cum ossibus ilei *mobilem* esse, contra vulgarem sententiam, docet. Processus *styloideos* ossis petrosi non semper adesse, Contractiones musculorum *corrugatione* fieri, sicut in lumbricis terrestribus, sustinet. *Ductum salivalem Nuckii* non dari in homine. *Valvulam coli*, dudum ante *Bianchum*, valvulam non Schelhammeri.

esse existimavit. *Vomitum* non fieri per musculos abdominis, contra *Tournefortium*, defendit. *Gavettum* perstringit, qui cor musculnm esse negavit. Singularem descriptionem exhibet musculorum intercostalium, atque ex eorum fabrica deducit, quomodo costæ in inspiratione eis non solum *sursum*, sed & simul *extrorsum* moveantur: id quod ab aliis neglectum esse conqueritur. *Diaphragma* in homine simplicem, non duplicem musculum esse vult. *Fibras musculares arteriis denegat*, hasque non vi musculosa, sed solum subsidentia, sive resiliendo, ut baculus aut arcus flexus contrahi. *Sanguinis turgescentiam* in viventibus magnam esse inde comprobat, quia in mortuis omnis sanguis in venis reperitur, arteriæ vero vacuæ deprehenduntur. *Lienem* recte non in latere abdominis, ut vulgo docetur, sed ad dorsum, sub ventriculo, situm esse innuit. *Highmorum* lienem bovis loco humani exhibuisse declarat. *Glandulas lienis* commentum esse perhibet. *Capsu-*

læ

læ Glissonii fibras non circulares esse, sed longitudinales, ideoque eam arteriæ munere, ut multi perhibent, fungi non posse. *Ductum pancreaticum* in homine geminum reperit, sustinetque *bilarium* numero huic semper respondere. In *Phoca marina* lobos renum elegantissime occurrere annotavit. *Vim prolificam seminis virilis* non per tubas Fallopianas ad ovarium pervenire, sed per vias adhuc incognitas, inde concludit, quia gravidæ factæ sunt tales, quibus vagina carnea substantia clausa fuit, aliæque quibus semen solum orificio vaginæ aspersum est. In suibus *vasculosam testium substantiam* bene conspici posse annotavit. Arterias quasdam duræ matris in sinum longitudinalem desinere Vieussenium annotasse, sed causam ignorasse, ait: hoc vero propterea contingere, scite indicat, ut in plethoricis sanguis accedens copiosior & superfluus huc, tanquam in diverticulum, abeat, redeatque mox rursus ad cor, intacto cerebro, ne illud obruat, unde apo-

plexia facile excitaretur. *Sinum longitudinalem* inferiorem falcis cerebri ſæpe deeſſe notavit, ſeque primum docuiſſe affirmat, auditum fieri per radios ſonoros, ſicuti viſus per radios viſivos. &c. Quæ prolixius paullo hic recenſuimus, quia liber, neſcio quo fato, paucorum manibus verſatur, & vix apud Bibliopolas reperiri poteſt.

Valſalvæ. *VALSALVA* in *aure* nova indicavit varia, & quidem inter alia glandulas ſebaceas, glandulam tragi, veram meatus auditorii figuram & inceſſum, corpus reticulare glandularum ceruminoſarum meatus auditorii, venas auris a peculiari vena occipitali oriundas, tubæ Euſtachii conformationem legitimam, novam muſculorum uvulæ ac pharyngis deſcriptionem & delineationem, cochleæ auris in duplicem ſcalam diviſionem, nervi auditorii per quinque foramina ingreſſum in auris labyrinthum, zonas ſonoras, &c. deinde etiam membranam tympani ruptam in integrum reſtitui poſſe ſuſtinet, & fora-

foramen ſive *hiatum in tympani membrana* cum *Rivino* in ſanis adeſſe ſtatuit, per quem varia morboſa fluida excerni poſſe aſſeverat. Multas denique figuras novas nitidasque de his partibus exhibet.

VIEVSSENIVS in *ſyſtemate novo vaſorum*, novum plane ſyſtema eorundem exhibere voluit, oſtendendo præcipue, omnes fibras carneas, vaſaque lymphatica ab arteriis (non a venis) oriri, id quod variis peculiaribus encheiriſibus tentavit; quibus multa curioſa experimenta circa vaſa uteri, ventriculi, cordis, mammarum, tunicarum, ductuum adipoſorum, renum, aliarumque partium immiscuit. *In tractatu de aure*, quem prius, ut affirmat, non edidit, antequam millies aurem examinavit, multa nova inventa contineri, & ipſe & Diarium Eruditorum Pariſienſe aſſeverant: maximamque partem eorum, quæ *Valſalva* de aure nova ſcripſit, ille ſibi vindicat. Figuras quoque, quas addidit, tam exactas eſſe, perhibet cenſor Pariſi- Vieuſſenii.

ensis, ut nullæ iis æquiparari queant. Ita & *in tractatu de corde*, scribit, illud hactenus parum cognitum fuisse; docet enim Autor in hoc libro inter arteriarum & venarum extrema nullos intercedere poros, ut plerique hucusque voluerunt; sed eas interventu vasculorum sive ductuum carneorum inter se communicare. *Cor* bis *sine pericardio* reperit. Venas quoque omnes externas inter se communicare ostendit; arterias cordis interiora parietum intrantes, non habere venas socias, sed in ductulos carneos mutari, sanguinem in cava cordis, in ipsa cordis contractione, deponentes; fibras musculosas sive motrices cordis, *ductus carneos* appellandas esse vult, easque alium obtinere cursum indicat, quam hactenus creditum fuit. Præter duas arterias coronarias detexit adhuc aliam cordis arteriam, sed minorem, iuxta has, quam *adiposam* appellat; quibus omnibus multas observationes curiosas interseruit. Postremo *viginti quatuor novas easque nitidas figu-*

figuras de corde in tractatu hoc exhibuit.

BECKERVS sectionibus anatomicis observavit atque evicit, *submersos in aqua sine potu aquæ mori*, parumque vel nihil aquæ in ventriculo & pulmonibus submersorum reperiri, sed potius suffocatione mori: id quod & ego aliquoties in talibus cadaveribus vidi. Beckeri.

Anastomoses sive coniunctiones arteriarum ultimarum cum venis, variis experimentis roboravit *FRANCVS DE FRANKENAV*, sicut & *Diapedesin* sive transudationem humorum per vasa & membranas, quæ a multis negata fuerunt, peculiari dissertatione restituere contendit: in qua vero diapedesi stabilienda eousque procedit, ut potum per ventriculum & intestina transudare existimet cum *Meryo* in abdomen, & ex hoc in vesicam urinariam: cui tamen sententiæ ischuria aliorumque experimenta repugnare videntur. Franci.

Quæ

Courtialii. Quæ *COVRTIALIVS* circa ossa, nova hepatis vasa lymphatica, & infantem extra uterum repertum, observavit, iam in oratione dictum est.

Brissæi & Antonii. *BRISSAEVS* atque *ANTONIVS* sectionibus oculorum cataracta laborantium invenerunt, morbum illum, quem pro cataracta habuerunt & agnoverunt omnes eruditissimi atque experientissimi Medici, *plerumque in opacitate humoris crystallini, rarissime vero in pellicula sive membranoso corpore, in humore aqueo genito*, consistere: id quod ego postea & multi alii egregii viri sectionibus similium oculorum verum esse deprehendimus.

Morgagni. *MORGAGNVS* in Adversariis suis primis anatomicis descripsit primum a se inventas *glandulas arytænoideas duas*, glandulas *epiglottidis*, *ligamenta epiglottidis* lateralia, *ligamenta labrorum*, terminos veros musculorum sterno-thyroidum & hyothyroidum, eorumque tendineas inscriptiones, observationes circa musculos

ſculos uvulæ & pharyngis, *urethræ foramina & canaliculos*, glandulas coronæ penis, nympharum, labrorum, naſi, palpebrarum, areolarum mammæ, obſervationes circa vaginam uteri, rugas & glandulas eius, &c. Taceo, quæ obſoleta inventoribus ſuis reſtituit de laryngis ventriculis, ligamento penis ſuſpenſorio, corpuſculis & fibris valvularum aortæ & arteriæ pulmonalis, itemque ea, quæ emendavit, aut aliter obſervavit, quam alii, ut de foramine ovali, glandulis oculorum, caruncu-lis, punctis & ductibus lacrymalibus, cartilaginibus laryngis & aſperæ arteriæ, huiusque glandulis, de glandula thyroidea, de muſculis variis, hymene, ovariis & tubis Fallopianis, de lacunis foſſæ muliebris, fontibusque muci ad cervicem uteri, menſtruorum ſcaturigine &c. Ita & in Adverſariis alteris, tertiis, quartis, quintis & ſextis, Annis 1717 & 1719 editis, innumera eiusmodi pulcherrima inventa & obſervationes curioſas, easque accuratiſſimas tradit, & ſimul

ſimul multos errores ab anatomicis, maxime a *Mangeto* in Theatro ſuo anatomico commiſſos, indicat atque emendat; quæ vero omnia hic iam brevitatis cauſſa non recenſebo, quia præſtat ea ex ipſo Auctore petere, ubi ob elegantem ſermonem & iudicium ſubactiſſimum mira iucunditate legi, figuræque nitidiſſimæ inſpici poſſunt. Interea tamen nonnulla novorum, quæ primum in mentem venerunt, hic cõmemorabo. Et quidem *Nigredinem æthiopum* partim in cuticula, partim in ſuprema cutis parte conſiſtere obſervavit. *Muſculum novum uvulæ*, quem *azygon* vocat, invenit. *Cartilagines mobiles maxillæ* inferioris & oſſis tibiæ primus delineavit. In *inteſtino recto valvulas ſemilunares* ſæpe adeſſe obſervavit, quas & delineavit, quæ Sphincteris muneri ſuccurrere poſſunt. In eodem recto *ductus* ſæpe vidit ſtylum tenuem admittentes, & in veſiculas deſinentes, ex quibus liquorem exprimi poſſe docet. Variationes multas circa muſculos, præſertim faciei & circa ſitum viſce-

viſcerum abdominis annotavit. *Coli valvulam* bene delineavit & contra *Bianchum* defendit. *Proceſſum vermiformen coli* non pendulum, ſed ſemper ſurſum erectum eſſe demonſtrat: hinc potius eum craſſis aliquid præbere vel infundere, quam ex iis aliquid accipere concludit. *Ligamenta coli* omnia in proceſſu vermiformi deſinere primus annotavit: id quod ob ſingularem eamque egregiam rationem fieri exiſtimat. *Vias ab inteſtinis & ventriculo,* præter communes, *ad veſicam* dari nullas, ex iſchuria a renum obſtructione probat. *Proſtatam* nimis magnam iſchuriæ lethalis vidit cauſſam. *Novos muſculos veſicæ*, quos *Bianchi* deſcripſit, non dari affirmat. *Elevator novus muſculus oſſis coccygis* ab eo deſcribitur, quem actioni elevatorum ani ſuccurrere ſuſtinet. Tertium *foramen in capite gallinaginis* urethræ detexit, & *hymenis membranam* ſæpe vidit. *Vaſa lymyhatica* in utero muliebri ſe obſervaſſe ſcribit, quæ alias non niſi in beſtiis viſa ſunt. *Pulmonem* non totam thoracis cavitatem implere,

expe-

experimento, contra hucusque receptam ſententiam demonſtrare conatur, de *venæ azygos* natura & uſu varia curioſa & nova apud ipſum reperiuntur. *Sinum longitudinalem inferiorem duræ matris* non ſemper adeſſe, ut alii crediderunt, & ſuperiorem plerumque ſolum in lateralem dextrum, quartum vero in lateralem utpl. ſiniſtrum deſinere, obſervavit. Præterea *ſinum novum*, a nemine adhuc deſcriptum, inferiori eminentiæ cruciformis parti oſſis occipitis adhærentem annotavit, quam tamen quandoque deeſſe monet. *Rete mirabile* in homine exiſtere confirmat, illud vero non tam ex plexu arteriarum & nervorum, ut vulgo perhibetur, conſtare, ſed ex fibris tendineis, duræ matris fibris analogis, docet. Curioſum experimentum recenſet, quo ſi oculus in tenebris ſingulari, modo prematur, lucem apparere notavit: *Corpora quædam glanduloſa* naſi ad utrumque ſepti narium latus, loco fere medio ab ipſo deprehenſa, & a nemine adhuc deſcripta, indicavit. *In glan-*

glandulis sublingualibus humanis se multoties comperisse scribit, complura utrinque vascula inter se parallela, quæ e latere earum exteriori, non antrorsum, sed in transversum recta gingivas versus tendebant, & non magno a glandulis intervallo peculiari quodque osculo hiabant, per quod sæpius tenuiores setas immiserit, multaque alia similia, quæ rerum anatomicarum amatoribus non possunt esse ingrata.

NOVESIVS (vulgo *Desnoues*) methodum invenit *cera omnes corporis partes internas externasque ita imitandi & fabricandi, ut naturalibus sint quam simillimæ*, summoque adstantium stupore iam Parisiis conspiciuntur, a) quale quid nullus alius ante ipsum præstare potuit. Subtilissima etiam vasa corporis spiritu vini & cinnabari accuratissime replere novit. Singularem quoque & *novum nervi auditorii reptatum* sive distri- Nouesii.

 butio-

(a) vid. Dan. Hoffmanni Annotationes ad Hypotheses Goueyanas pag. 6. & seqq.

butionem per labyrinthum delineavit & deſcripſit ex communicatione alterius. Nemo vero, quantum novi, eſt, qui eam ita videre vel reperire potuerit.

Drakii. *DRAKE* multis novis figuris anthropologiam ſuam exornavit: & præter figuras optimas, quas & *Ridleus* de cerebro, & *Cowperus* in variis ſcriptis, apud nos valde raris, dederunt, multas alias novas cum publico communicavit: ut de cuticula, ſitu viſcerum abdominis, partibus genitalibus, corde & pulmonibus, arteria & vena pulmonali, naſi externi internique partibus, præſertim ſinubus quibusdam cranii, organo auditus, & muſculis corporis humani.

Lealis. *LEAL LEALIS* unicum tantum eſſe ductum excretorium veſicularum ſeminalium in urethram ſcripſit & delineavit; ubi ego tamen hactenus ſemper duplicem inveni. Deinde modum has veſiculas in cœcum quaſi inteſtinulum eleganter diſſolvendi docuit.

BAR-

BARTHOLOMAEI EVSTACHII figuræ de renibus & vena ſine pari, hactenus adeo raræ, nova editione Lugduno-Batava in manus hominum rurſus pervenerunt. At *Lanciſii* induſtriæ maxime debetur, quod tabulæ *Euſtachii* anatomicæ, tam diu pro deperditis habitæ, in lucem fuerint protractæ, doctisque eius explicationibus illuſtratæ; in quibus multa reperiuntur, *Euſtachio* iam ante ſeſquiſeculum, & quod excedit, cognita, quæ recentiores pro ſuis eisque novis habuerunt inventis. Apud nullum vero elegantior vaſorum meſeraicorum delineatio reperitur. Euſtachii.

LANCISIVS, in tractatu de mortibus ſubitaneis, varias recenſet ſectiones cadaverum ſubito defunctorum, & inter alias caſum, *ubi venam cavam intra pericardium ruptam*, & ſimul *aneuryſma arteriæ magnæ* in thorace invenit. In operibus ſuis Genevæ editis, novas figuras de cerebro dedit quinque elegantes, quibus ſententiam ſuam *de ſede animæ cogitantis, in corpore calloſo*, il- Lanciſii.

luſtrare intendit. In *Morgagni* Adverſariis Anatomicis quintis duæ quoque doctiſſimæ *Lanciſii* Diſſertationes, altera *de vena ſine pari*, altera de *gangliis nervorum*, reperiuntur; in quibus non ſolum horum ſtructura & uſus doctiſſime deſcribuntur, verum etiam nitidiſſimis novis figuris illuſtrantur. Præſertim vero *de vena azygos* notavit in eius fine ſingularem *ſphincterem muſcularem* & communicationem peculiarem cum trachea, illiusque ſcarificatione in loco dolente pleuritidem notham incantamenti inſtar tolli poſſe. *Ganglia nervorum* ſtructuram obtinere *muſcularem* oſtendit, uſumque eorum novum, ad moderandum augendumque motum liquidi nervoſi, pro varia neceſſitatis exigentia, inde deducit. Veram quoque *nervi intercoſtalis originem* deſcribit & progreſſum.

Alghiſii. *ALGHISIVS* de partibus genitalibus, præſertim iis, quæ in calculi ſectione rite noſcendæ ſunt, itemque de

de renibus calculo attritis, novas elegantesque figuras dedit.

BIDLOVS in Exercitationibus suis anatomico-chirurgicis nervorum cavitates negat, hydatidum naturam, spinam bifidam, spinalem medullam osse nullo tectam, & exostoses varias exponit; at in opusculo quodam posthumo *variorum animalium oculos* describit ac figuris illustrat. Bidloi

THEBESIVS novas *venas* in interiori cordis superficie detexit, sanguinem ex interiori cordis substantia in cava eius revehentes; quarum orificia *Vieussens* antea pro ductibus carneis habuit, fermentum cordis, si Diis placet, in ventriculos eius excernentibus. Thebesii

A TERRANEO novæ *Covvpèri* glandulæ ad urethram, foraminulaque & ductus a *Morgagno* primum descripta, novis experimentis & figuris illustrata sunt. Terranei

Verheyeni. *VERHEYENVS* in ultima editione Anatomes ſuæ nonnullos emendavit errores, quos in prioribus reliquerat, inſimul varia nova multasque novas figuras dedit, quæ in aliis deficiunt: ſicuti hoc facile illis patere poteſt, qui priores cum poſteriori editione conferent: quæ augmenta propterea eo lubentius hic non prolixe recenſemus, quo magis liber hic omnium manibus teritur, paucaque allegaſſe ſufficiat, quæ novitatem præ ſe ferunt: ut ſunt *muſculi ſupra & infra coſtales* ab ipſo dicti, licet iam ab Euſtachio delineati fuerint; *cartilagines naſi* undecim ab ipſo repertæ, muſculi ſterni, triangularis vulgo dicti, diviſio in varios muſculos *ſterno coſtales*; refutatio *Vieuſſenii*, fibras muſculares cordis, uteri, ventriculi aliarumque partium negantis, easque vaſa *neuro-lymphatica* novo, at, me iudice, incongruo nomine appellantis; figuræ variæ novæ circa partes genitales utriusque ſexus; *figuræ novæ de corde* eiusque orificiis internis venoſis;

item

item de *sinubus cerebri*, *naso*, *ductu lacrymali*, ossibus quibusdam & musculis, thymo, canali arterioso, aliæque.

BIANCHVS in tractatu de hepate contra *Malpighium* ostendere laborat, *hepatis substantiam non esse glandulosam*, sed cum *Ruyschio* aliisque recentioribus eam vasculosam esse contendit, glandulasque ad secretiones in corpore non absolute esse necessarias. Idem etiam *novam ductuum lacrymalium descriptionem* atque delineationem exhibuit. In *Mangeti* Theatro Anatomico *Morgagnum* acriter aggressus est, *valvulam coli* negavit, atque simul novos vesicæ musculos ibidem delineavit; quæ vero omnia a *Morgagno* in Adversariis suis examinantur atque excutiuntur. Bianchi.

DE LA MARCHE, obstetrix Parisiensis, uteri duplicis rarissimi in femina quadam Parisiis reperti delineationem exhibet. De la Marche.

VERCELLONIVS e glandulis Vercellonii.

thyroidea, iugularibus, bronchialibus, dorſalibus, aliisque ad ſiniſtrum ventriculi orificium ſitis, ductus excretorios deſcripſit, in œſophagum definentes, humoremque digeſtivum & ſingulares vermiculos in eum & ventriculum pro digeſtione perficienda deponentes; quos vero nec ego, nec alii, quantum percipere potui, hactenus obſervare potuerunt.

Fantoni

Io. FANTONVS tamen, præter alias obſervationes curioſas, ductus ex glandula dorſali in canibus vidit, in quibus vermiculi hærebant. Præterea elegantiſſimam vaſorum lacteorum per inteſtina agni diſtributionem annotavit; & vim muſculoſam duræ matri a *Pacchiono* adſcriptam, non concedit. Venas uteri flatu in vaginam immiſſo diſtendi poſſe obſervavit, aliaque curioſa.

In *Io. Baptiſtæ FANTONI*, Patris, obſervationibus occurrunt aneuryſma aortæ paullo ſupra iliacas, auricula cordis ventriculo æqualis, cordis monſtroſæ magnitudines, de hyme-

hymenis existentia observationes, verus œsophagi transitus per diaphragma, observationes multæ de polypis, eorumque ope spiritus salis dissolutio. &c.

ANELLVS, præter accuratam viarum lacrymalium descriptionem & methodum novam sanandi fistulas quasdam lacrymales, cognitioni fabricæ illarum superstructam, refert exemplum *fœtus nuper in cavitate abdominis reperti*, in quam ex ovario, ut credit, delapsus accrevit; qui vero e matre vivente exsectus est: & simul similes alias historias recenset. Anelli.

CHESELDENVS, Anglus, in Anatomia sua, Anglice conscripta, viginti tres novas tabulas æneas exhibet: e quibus præ reliquis notatu dignissimæ mihi videntur cordis & pulmonis vasa cera repleta, vasa lactea & ductus thoracicus, sinus et arteriæ cerebri, arteriæ intestinorum; totius venæ portæ cera repletæ pulcherrima delineatio; ductus hepatici & pororum bilariorum per Cheselden.

totum hepar distributio, cera infarcta; partes urinæ secretioni & generationi destinatæ, vasaque cordis & hepatis ex fœtu cera distenta; omnes ab aliis hactenus visis figuris diversæ.

Vallisnerii *VALLISNERIVS* anatome *Chamaleontis* longe superavit anatomicos Parisienses; nam non solum varios errores, quos hi quondam in anatome huius animalis commiserunt, emendavit, verum & alia multa de eo scripsit accuratius, quam illi olim in dissectione & recensione singularis huius animalis fecerunt; qua vero occasione simul diversa alia dissecuit animalia, aliquam cum chamaleonte affinitatem habentia; ut *lacertas* varias, *salamandras*, *ranas*, *bufones* & similia, in quibus singulis singularia quædam & ab aliis prætermissa annotavit. Detexit quoque *foraminula in aculeis scorpionum*, novasque *de ovariis & generatione anguillarum* observationes exhibuit; ita & clavos aliasve res duras in ventriculo Struthiocameli

erosa

erosa invenit, quo vim solvendi liquoris ventriculi comprobat.

MISTICHELLI deprehendisse contendit, *menynges*, *non cerebrum*, *spirituum* sive liquidi nervosi *secretionem perficere*, figurasque elegantes de cerebro exhibuit. Mistichelli

LITTRIVS in nova urethræ descriptione novum musculum urethram dilatantem & novam *urethræ glandulam* descripsit, novam herniæ speciem, ac renes vesiculosos observavit, fœtum in ovario reperit, aliaque. Littrii.

WINSLOVS novam cordis in diversos musculos separationem, novamque valvulam circa cor invenisse dicitur. Winsloi.

Io. Conr. a BRVN, liber Baro, novas figuras novasque observationes de glandulis duodeni a se olim inventis dedit. a Brun.

Scriptores anatomicos ab *Hippocrate* ad *Harveum*, nemo melius recen-

Douglas recenſuit, quam *DOVGLAS* in ſpecimine Bibliographiæ anatomicæ: qui etiam multum præſtitit in libro *Cheſeldeni*, uti hic ipſe in præfatione ſua confitetur, multaque, ab aliis nondum dicta, in anatome comparativa hominis & quadrupedum, ſcripſit.

Dionis. *DIONIS* non modo auxit atque emendavit ſuam anatomen editione ultima, verum novas quoque figuras & diſſertationes de generatione, itemque de auricula cordis enormiter dilatata, aliaque auricula valde monſtroſa addidit. Tacemus quæ obſervavit in hominibus morte ſubitanea defunctis.

Govey. *GOVEVS* (ſive *Louis Leger de Gouey*) varias ſingulares atque paradoxas ſententias & obſervationes protulit, & inter has præcipue, quod *ovula mulierum iam in coitu per tubas Fallopianas uterum ingrederentur*, & non in ovario, verum in utero ipſo a ſeminis virilis ſubtilioris parte impregnarentur ſive fœcundarentur; Nihil enim unquam de craſſiori ſe-

minis

minis materia uterum ingredi, quia eius orificium ſemper exactiſſime clauſum eſſet, contendit. Deinde ſe tetegiſſe atque examinaſſe mulierem gravidam, *quæ nullum habuerit orificium uteri internum*, & tamen feliciter pepererit: ubi exiſtimat, uterum partus demum tempore pro fœtus tranſitu ruptum fuiſſe. Poſtea ex tumore in inguine *fœtum vivum longitudine dimidii pedis ſe excidiſſe* affirmat; quem valde exiguum per annulum muſculorum abdominis ex abdomine eo delatum eſſe contendit. Porro ſe obſervaſſe docet, mulieres non ſolum *in æſtu aut pruritu venereo*, a) a cogitationibus tantum venereis vel alia re excitato, verum etiam in menſtruorum fluxu *ovula ſæpe per uterum excernere*, & quæ ſunt ſimilia. Annotationes vero medicas ad hypotheſes has *Goueyanas* ſcripſit ſuperio-

ri

a) *Bergerus* quoque a ſolo æſtu venereo ovula ex ovario expelli, citra concurſum ſeminis virilis, & fœcundationem non in ovario, ſed in utero fieri, iam ſuſtinuit, Phyſiolog. p. 465.

ri anno *Daniel HOFFMANNVS* Tubingenſis, in quibus haud ſine ratione variæ illius aſſertiones & hypotheſes in dubium vocantur, infringuntur, aliæque ad veritatis lancem examinantur. In *oſſibus* etiam & *muſculis*, eisque præſertim, qui caput movent, varia nova ſe inveniſſe credit *Goueus*; *gibbumque* non tam ab oſſium vitio, quam a muſculorum abdominis contractione ſive ſpaſmo inductum ſe ſectione obſervaſſe ſcribit. Recte negat omnia cranii oſſa diploën ubique continere, cum hæc variis in locis deficiat. Male vero ipſum ſuſtinere puto, quod oſſicula auditus perioſtio deſtituantur, & quod per foramina oſſis ſacri poſteriora magni nervi a ſpinalis medullæ extremitate egrediantur, aliaque ſimilia.

Mangeti. *MANGETVS* in amplo & ſplendido ſuo theatro anatomico multa quidem promiſit, ſed vel nihil, quantum ego obſervare potui, vel parum ſaltem pro mole libri novi dedit, imo

potius

potius non ſolum aliorum errores non emendavit, ſed adhuc novos multos errores commiſit, ſicut ex *Morgagni* Adverſariis alteris & ſequentibus cognoſci pluribus poteſt.

In *BRENDELII* obſervationibus anatomicis reperiuntur præ ceteris ſpinæ dorſi bifidæ hiatus in puero recens nato, trimelli in communi chorio, ſed diſtinctis amniis incluſi, & mirabilis funiculi umbilicalis ſtructura, variolæ omnium inteſtinorum ſuperficiem obſidentes, cor hirſutum & villoſum, gemelli in mola deprehenſi, fœtus poſt mortem matris ex utero exciſus, valvulæ cordis ſemilunares cartilagineæ, diſſectio virginis furore uterino extinctæ. Brendelii.

BELLINGERVS deſcripſit *ductus ex glandula thymi ad os abeuntes*: an vero alii æque felices fuerint hos ductus inveniendi quam ipſe, mihi hucusque nondum conſtat. Bellingeri.

Sebaſtianus MELLI novam quoque Melli.

que ductuum lacrymalium delineationem exhibuit.

Leuwenhœkii.

LEVWENHOEKIVS in ultimis ſuis epiſtolis varias res ad Anatomen ſpectantes, easque microſcopiis obſervatas, deſcribit: quarum præcipuæ ſunt ſequentes. Vt de *carnis balænæ*, boum aliorumque animalium fibrillarum exiguitate & ſtructura; de *oculi balænæ fabrica*, cuius corneam ex XVI vel XVIII membranulis componi affirmat, ita *de oculo aſſelli maioris* agit. Porro de crinium variorum animalium examine; de ovariis & ovulis *vermiculorum caſeariorum* clariſſime perceptis; *de tendinum examine* ex animalibus variis; ubi docet, quamlibet fibram ex qua tendo componitur, centuplo tenuiorem eſſe capillo; de ſcarabæorum, muſcarum, murium, cancrorum &c. fabrica; de vaſis ſanguiferis tendinum, eorumque ductibus ſpiralibus. Pulſum non arteriis ſed venis tribuendum eſſe cenſet p. 176. *Animalculorum in ſemine animalium exi-*

existentiam contra aliter sentientes variis in locis defendit. *Motum cordis* explicandum sibi sumit. *Animalcula seminalia in canum & cuniculorum matricibus* a se reperta esse docet. *Ovarium* vero *explodit*, & conceptionem *non fieri per ovum*, sustinere conatur. De *squamis piscium* monet, quotannis novas prioribus sub squamis accrescere. In piscibus magnis ova non reperiri, eosque unicum modo fœtum parere: cum minores pisces quamplurimos producant, indicat. De modo agit, quo *chylus per intestina protruditur*. *Stomachum* in corpore recte valente describit. *Diaphragma*, quomodo pulmones angustet, explicat. Animalcula in liquore parastatarum arietis reperta a se esse ait. *De epidydimidibus*, vase deferente & testiculis disserit; itemque de *nervis* eorumque structura: ubi eorum cavitates distincte a se visas non modo affirmat, sed in cavitatibus eorum res inclusas quoque observavit. *Cerebri porcini examen* refert. In *cerebro aselli maioris* fibrillas easque *cavas* obser-

vavit, omnesque nervos ex vasculis esse compositos, fibrillasque tendineas vascula quoque esse asseverat.

Peieri. *PEIERVS* filius, in observationibus suis anatomicis descripsit non solum quid in variis cadaveribus humanis, inedia, variolis, diarrhœa &c. extinctis, atque in suffocato infante apoplexia, hydrope, peripneumonia defunctis; verum & in variis animalibus, cane, fele, lepore, mure, talpa, vulpe, mustela, marte, erinaceo, fœtu ovillo, vespertilione, porcello, equo, ove, vipera, cornice, corvo, fulica, falcone, oculo anserino, noctua &c. sectionibus observaverit.

Nabothi & Hoffmanni. *NABOTHVS* b) & *Frid. HOFFMANNVS* c) ovarium novum in cervice uteri constituunt: quibus tamen *Gœlicke* in Historia Anatomiæ, *Ettmullerus* in Epist. de ovario novo, *Nouesius*, *Blegny*, *Henrici* in dissert. de vesiculis seminalibus mulierum,

b) In Dissertat. de sterilitate.

c) In Medicina rationali systematica T. I. p. 342.

rum, *Morgagnus*, *Ruyschius* in Adversariis suis, aliique adversantur.

SLEVOGTIVS nervos olfactorios non esse nervos, sed cerebri emissaria, evincere contendit. Slevogtii

Io. Adolph. WEDELIVS falsum valvulæ ductui thoracico impositæ hactenus adscriptum usum repudiavit, verumque indicavit. Wedelii

TREVVIVS Os sesamoideum in externo femoris condylo, aliudque in digiti auricularis primo articulo sæpe reperiundum delineavit. d) Trewii.

TEICHMEYERVS novum auditus ossiculum, inter mallei & incudis iuncturam, a se in vitulis sæpius observatum, descripsit. Teichmeyeri

VATERVS novum bilis diverticulum in duodeno observavit, mechanismum, quo natura in foramine ovali occludendo utitur, exposuit, & novissime foramen quoddam linguæ pro vero ductu salivali declaravit. Vateri

HISTORIA ACADEMIAE REGIAE PARISIENSIS hoc secu- Histor. Acad. Reg. Paris.

d) In Dissert. Altorfi 1715. habita *de chylosi* &c.

ſeculo multas obſervationes anatomicas dedit: quarum præcipuæ videntur eæ de corde teſtudinis, ſingularique per illud circulo ſanguinis, de foramine ovali eiusque uſu in fœtu, de ventriculo capræ Lybicæ, aliorumque animalium nondum ſatis ſectione cognitorum, ut de tigridis, pelicani, aquilæ anatome; de dentibus; de quibus oſtendunt, eos in adultis non amplius creſcere, ſed tantum eorum cruſtam, omnino a reliquo oſſe diverſam; de fœtu in ovario reperto, de glandulis in ſinu longitudinali a *Meryo* primum obſervatis; de ſtructura medullæ, hernia ſingulari, vocis formatione, vaſis omphalo-meſentericis, de ventriculi actione in vomitu, de partibus generationi deſtinatis, urethra, oſſibus mulieris cera mollioribus, liene hominis petrefacto, alioque in oſſeam ſubſtantiam mutato, de fœtu & ſecundinis, de mortibus ſubitaneis, de viis urinæ e ventriculo ad veſicam, de circulatione ſanguinis in fœtu & piſcibus, de generatione hominis ex ovo, de calculis in veſicæ parietibus

&

& monſtris variis; de cerebro petrefacto, iride oculi eiusque dilatatione & contractione, de renibus veſiculoſis, de utero duplici in puella; obſervationes in oculis cataracta laborantibus; de glandula pituitaria, de circulo ſanguinis inter matrem & fœtum, de limacum generatione, cordis ſtructura, gonorrhœæ ſede, aneuryſmate & glandulis; de primario viſus organo nervique optici ſtructura; de placenta & funiculo umbilicali; de tumoribus ventoſis, fœtu extra uterum genito, aliæque.

In *ACTIS ANGLICANIS* recenſetur hiſtoria de veſica triplici, obſervatio de liquore cœruleo ad vaſa lactea transmiſſo; de fractura colli femoris, pro luxatione antea habita, ſectione deprehenſa; de anatome linguæ avis cuiusdam, quæ duriſſimas arbores perforare poteſt; de viribus cordis, & de organo auditus ex elephante &c. Ita & nova litteraria retulerunt, iuvenem quendam Medicum in Anglia, cui nomen S. *André*, Actor. Anglicor.

dré, novam methodum reperiſſe, *vaſa mercurio artificioſiſſime replendi, eum poſtea figendi*, & denique *colorem* ipſi *quemcunque pro lubitu conciliandi*: id quod, ſi ita ſe habet, revera curioſiſſimum & memoria digniſſimum eſt.

Ephemerid. Naturæ Curioſ.

EPHEMERIDES NATVRAE CVRIOSORVM non ſolum integras diſſertationes anatomicas, ſed etiam obſervationes haud minoris momenti, cum theoriam, tum praxin illuſtrantes, dederunt, ex quibus quasdam indicare ſufficiat: ut de fractura ſpinæ dorſi admiranda, rene ingentis magnitudinis, teſticulo oſſeo, unguibus monſtroſis, ploratu fœtus in utero, lapide veſicæ baccis iuniperi repleto, guttæ ſerenæ cauſſis ſectione obſervatis, caruncula urethræ, utero lapidibus referto, veſicæ defectu, hermaphroditis, dentibus, pulmonibus infantis, qui vixit, in aqua ſubmerſis; monſtroſa penis magnitudine, anatome ſalaciſſimarum mulierum, venæ portæ ramis in cava inteſti-

testinorum hiantibus, rhachitici anatome, de cataracta, anatome Xyphiæ piscis, item Lumbi & Ophidii, de glandulis duræ menyngis, ovario anguillarum, de intestini ilei invaginatione, lienibus e canibus exemtis, seminis regressu ad sanguinem, dentium genesi, polypis, ranarum in pisces metamorphosi, tonsillis, monstris variis, uracho, modo inveniendi ductum thoracicum in homine, hepate vesicula fellea destituto, fœtu in vesica urinaria contento, cerebelli structura, pyloro ventriculi, ciconiæ anatome, tunica allantoide eiusque vasis, de vasis lacteis in intestinis crassis, fibris annularibus in ductu thoracico, de venæ umbilicalis vera insertione & canali venoso hepatis, valvulis gyrosis ductus hepatici, ossiculis sesamoideis, de calculis, variis in corporis partibus repertis, fœtu cerebro carente, hymene, glandula thyroidea & bronchialibus, vena azygos, itemque dissectiones plurimæ cadaverum variis morbis defunctorum.

Quid ego in anatome & compen- Auctoris.

dio meo anatomico, tam in erroribus aliorum emendandis, quam in conquirendis & digerendis recentiorum inventis, (præter ea, quæ in aliis meis ſcriptis, & quæ cum Ephemeridibus Naturæ Curioſorum, variis annis, communicavi) præſtiterim, quilibet ex lectione eius cognoſcere poteſt, aptoque tempore in eo explicando Philiatris uberius conſtabit. Nonnullas tamen mearum obſervationum, ut hiſtoria incrementorum anatomicorum hic perfectior exhibeatur, nunc recenſebo.

Arteriæ aortæ quatuor ramos aſcendentes, ex trunco ſeorſim prodientes, aſſervo: cum alias ordinarie tantum tres ſint. *Proceſſum mallei Rauianum*, ut & *minus oſſiculum ſeſamoideum*, *condylo femoris interno quandoque inſidens*, primus, ni fallor, delineavi, ſtructuramque & ſitum *pylori* verum figuris exhibui. Præterea *vaſa lactea meſenterii & inteſtinorum*, *ex cadavere humano*, ubi copioſiſſima aderant, delineanda curavi. *Ductus bilarii cyſtici valvulas ſpirales*, aliasque in eo occurentes

tes valvulas, ſæpius a me viſas, itemque ductum hepatis venoſum ac *venæ umbilicalis in ſinum venæ portæ legitimam inſertionem*, circa quam tam multi ſcriptores errarunt, figuris oſtendi, & quomodo vere ſe habeant deſcripſi. Porro *vaſa ſanguifera*, quam copioſa, facta prius eorum argento vivo repletione, per *tubas Fallopianas* diſtribuantur, & quomodo horum vaſorum conſideratione functio illarum melius intelligi queat, exhibui. *Cerebelli* humani, æque ac vitulini mirabilem pulcherrimamque *conformationem*, prout revera ſe habet, dum tam multi in ea delineanda hallucinati ſunt, primus ob oculos poſui.

Præterea *papillas linguæ*, guſtus organum, eiusque *tunicam reticularem*, quam ab aliis recte delineatam non novi, figura illuſtravi. Deinde *veram humoris aquei* per oculum diſtributionem, verumque *cryſtallini ſitum*, circa quæ tot controverſiæ, totque errores a plerisque anatomicis commiſſi fuerunt, me docuiſſe figurisque recte oſtendiſſe opinor.

Ligamenta duo penis lateralia, ab aliis, quantum novi, non indicata, in omnibus cadaveribus virilibus, quæ ab aliquot annis examinavi, reperi. *Glandularum historiam*, & quid revera glandulæ sint, me haud parum illustrasse credo. *Vterum in parturiente sponte ruptum*, & fœtus caput in abdomine offendi. *Vermes singulares* in equis & columbis deprehendi. Delineationem dedi, quomodo *in vitulo bicipiti duæ linguæ* atque duo cerebra coniuncta invenerim. *In infante, qui ano clauso* nascebatur, intestinum rectum deficere vidi. *Cataracta lactea* quid sit, sectione inveni, *reliquasque cataractas* frequentius in crystallini humoris opacitate, quam in membranoso corpore, multis superatis litibus, me evicisse arbitror. In amaurosi defuncto humorem vitreum dissolutum, & *Vasa lactea in crassis equi intestinis* reperi, ut & *fibras annulares in eius ductu thoracico. Pancreas* in duobus melancholicis *scirrhosum* se nobis exhibuit. *Glandulas bronchiales*, nusquam naturali magnitudi-

gnitudine antea exhibitas, una cum thyroidea & aſpera arteria in Ephem. Nat. Cur. dedi. *Lumbricos inteſtina in puero perforaſſe*, & in abdomine hæſiſſe, conſpexi. *Hymen* in puellis ſæpius obſervavi, taleque admodum notabile ex puella XIIII annos nata delineatum, ut & ſingularem *Venæ azygos conſtitutionem* iisdem in Ephemeridibus repræſentavi. Reliqua nunc prætermitto, alioque tempore exponam; Iam enim, quia tempus calidiſſimum inſtat, ſectionibus haud idoneum, præmiſſaque nuper anatome ſolenni, publice nunc hora III pomeridiana *Phyſiologiam* exponere incipiam; privatim vero Chirurgiam explicabo; at opportuno tempore anatomica rurſus tractabo, neque aliis in Medicinæ partibus Philiatris deero, ſi meam modo induſtriam ipſis probatum iri intellexero.

ADDENDA.

Oblitus fere eſſem libri anatomici ſingularis & novi, qui Hamburgi anno 1720 lucem aſpexit, nimirum I. M. *GLVSINGII* Med. Doct. &, ut imaginis inſcriptio fert, Archiatri Regis Polon. Glusing.

Ana-

Anatomia, quam vocat *rationalem*, Germanica lingua conſcripta, cui libro multas figuras anatomicas, partim ex *Verheyeno* depromtas, partim vero novas easque valde mirabiles, tabulis æneis quinq; admodum diverſæ & inter has quasdam enormis magnitudinis, adiecit. In omnibus vero perquam ſingulares partium corporis humani delineationes, quæ autem cum natura earum mihi parum convenire videntur, vel quas ego forte ſatis intelligere non poſſum, occurrunt. Exaratæ ſunt hæ tabulæ ab *H. de Wit*, *Moſco*, & hinc factum eſſe videtur, quod in prima tabula, præter latina vocabula, res repræſentatas indicantia ſive explicantia, Moſcovitica etiam ſæpe adiecta ſint. Maxime vero in tabula III, ubi animæ facultates & quinque ſenſus figuris exhibere ſatagit, tam mirificos nervorum ad organa ſenſuum progreſſus ac diſtributiones delineavit, ut, an alius hodie præſtantiſſimorum anatomicorum ſimile quid obſervaverit, valde dubitem.

INDEX

INDEX AVCTORVM,

Qui hoc ſeculo vel ſcriptis vel inventis anatomicis inclaruerunt.

ALghiſius 51, 148
Ammannus 18, 124
Andry 40
Anellus 67, 71. 153
Anglicana Societas Regia 62. 102, 165
Anonymus 34, 45, 60, 89, 93
Antonius 49, 71, 140
Auctor 81, 85, 90, 94, 98, 167
Baglivius 30, 38, 131
Barchuſen 58
Barnabeus 51
Bartholinus (Caſpar) 26, 130
Bartholdus 83
Bayle 28
Beckerus 37, 139
Bellinus 62
Bellingerus 84, 159
Berenger 27
Bergerus 24
Berekeley 53
Berolinenſium Acta Medica 103
Beſſe 31
Bianchus 58, 75, 151
Bidloo 50, 77, 105, 106, 149
Bohnius 58
Brendelius 81, 159
Briſſæus 54, 140
Brœn 33
Brunnerus ſive a Brun 55, 73, 155
Buſſierus 128
Camerarius 66
Caſſerius 47
Charriere 34
Cheſeldenius 68, 153
Clerc ſive le Clerc 44
Cokburn 80
Courtial 40, 140
Coward 45
Cowperus 29, 104, 129
Cyprianus 17, 124

Daglius 60
Dern 107
Desnoues 44, 145
Deventer 27
Dionis 59, 77, 87, 156
Dodartius 125
Douglas 47, 76, 156
Drake 47, 146
Drelincurtius 62
Ephemerides Germanorum 102, 166
Erndelius 63
Ettmullerus 77
Evertze 105, 106
Eustachius 48, 70, 147
Fantonus 60, 67, 152
Fickius 47
Floyer 48
Francofurtenses Exercitationes 103
Francus de Frankenau 42, 81, 109, 127, 139
Freind 35
Germanorum Ephemerides 102, 166
Gibs 65
Gibsons 34
Glissonius 62
Goelicke 69, 103
Gouey 79, 156
Guilielmini 25
Hambergerus 52
Hamelius sive du Hamel 26
Hartsœker 50
Hecquet 65
Heisterus, vid. Auctor.
Helwig 100
Henningerus 108
Hermannus 83
Heyne 41
Heucherus 155
Hilscherus 110
Historia Academiæ Parisiensis 102, 163
Hoffmannus (Daniel) 93, 158
Hoffmannus (Fridericus) 88, 107, 162

Hoffmannus (Io. Maur.) 33, 66, 132
Hovius 80, 132
Keilius (Iacobus) 29, 52
Kennedy 68
Kirchheim 69
Klaunigius 88
Krugerus 17
Lancisius 49, 70, 86, 101, 147
Lanzonus 30
Lealis 48, 146
Le Clerc 44
Lemery 39
Leeuwenhœk 92, 160
von Lindren 60
Listerus 54
Littrius 155
Lowerus 51
Lowthorpius 42
Mahlerus 62
Maitre-Jean 49, 71, 140
Mangetus 78, 158
de la Marche 59, 151
Matthæus 38
Mariotte 82
Mauriceau 64
Melly 84, 159
Meryus 19, 39, 63, 125
Mistichelli 76, 155
Morgagnus 43, 84, 140, 191
de la Motte 87
Mullerus (Henricus) 106
Mullerus (Io. Matth.) 66, 73
Musgrave 128
Muysius, 99
Naboth 46, 162
Needham 45
Nigrisolius 63
Novesius, 44, 145
Pacchionus 25, 41, 67, 126, 132.
Palfinus 32, 35, 53, 90, 138
Parisiensis Academiæ Historia 102, 163

Paſchius 22
Paſcoli 22, 64
Pauli 46
Pechlinus 29
Peierus, 94
Petermann 46
Petri ab Hartenſels 74
Pitcarnius 71
Purcell, 72
Poliniere 88
Preyſerus 28
Rauius 19
Read 104, 128
Redi 50
Ridleyus 34, 130
Rivinus, 110
Ruyſchius 16, 23, 82, 100, 122
Saltzmannus, 108
Santorinus 41
Schacherus 107
Schmidius, 111
Slevogtius, 109, 163
Sprœgelius 89
Tauvryus 21, 127
Terraneus 53, 149.
Trewius 163
Tyſon 23, 12
Valentini 29, 63, 69, 99
Valſalva 38, 136
Venette 32
Verduc 62
Viduſſi 85
Vogli 90
Wagret, 87
Warlizius 42
Winslous, 155
Zittmannus 45.
de Sandris 64
Saviard 31
Schelhammerus 36, 47, 133
Schurigius, 97
Spenerus 63
Stroem 84
Teichmeyerus 93, 163
Thebeſius 51, 149
Trichterus 83
Vallisnerius 74, 98, 154
Vaterus 65, 95, 111, 163
Vercellonius 61, 151
Verheyen 57, 105, 106, 150
Vieuſſens 40, 72, 73, 137
Waltherus, 78
Wedelius 108, 163
Wium 110